Emblems



LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY
OF ILLINOIS

x170
J26v

Rare Book & Special
Collections Library
RARE BOOK ROOM

VIA LACTEA

Candidus ad Felicitatem Trames,

SEU

Nova in Terris

GALAXIA ETHICA

Per

STATIONES XV.

divisa

à

P. PETRO JANOWKA

è Societate JESU.

PRAGÆ, typis Universitatis Carolo-Ferd. S. J. ad S. Clementem per Franciscum Slansky p. t. Factorem.

HONORI
AC
VENERATIONI
Prænobilium, Generoſo-
rum, Conſultiſſimorum ac
Doctiſſimorum
DOMINORUM
REGII JUDICIS,
PRIMATIS,
MAGISTRORUM
SCABINORUM,
Totiúſque ampliſſimi Ma-
giſtratûs Regiæ, ac
Liberæ Metallicæ
Urbis
In
MONTIBUS CUTTNIS,
DOMINORUM
HONORANDISSIMORUM.

Rare Book Room

Prænobilis, Generosi,
Consultissimi, ac Doctissimi Domini
Bernardi Dacziczky
de Heslova,
AA. LL. & Philos. Magistri, Sac. Cæs. Reg. Cathol. Majestatis Consiliarii,
Et
REGII JUDICIS
In Montibus Cuttnis.
Prænobilis, Generosi,
ac Consultissimi Domini
Wenceslai Hertl,
Sac. Cæs. Reg. Cath. Majestatis Consiliarii,
PRIMATIS

Et

Et universorum Inclytæ Comunitatis Bonorum INSPECTORIS.

Prænobilis, Generosi, ac Consultissimi D. Danielis Samuelis.

Prænobilis, Generosi, ac Consultissimi D. Theophili Janowka.

Prænobilis, Generosi, ac Consultissimi D. Petri Hertl.

Prænobilis, Generosi, ac Consultissimi D. Ignatii Hladky.

Prænobilis, Generosi, Doctissimi, ac Consultissimi

mi D. Joannis Alexius de Lowecz, AA. LL. & Philoſophiæ Magiſtri.

Prænobilis, Generoſi, Excellentiſſimi, ac Conſultiſſ. D. Bernardi Erithræy, AA. LL. & Philoſophiæ ac Medicinæ Doctoris.

Prænobilis, Generoſi, ac Conſultiſſimi D. Wenceslai Wulterin.

Prænobilis, Generoſi, ac Conſultiſſimi D. Joannis Bergmann.

Prænobilis, Generoſi, ac Conſultiſſimi D. Danielis Karre.

Præ-

Prænobilis, Generoſi, Conſultiſſimi, ac Doctiſſimi D. Joſephi Khun, AA. LL. & Philoſophiæ Magiſtri.

Prænobilis, Generoſi, Doctiſſimi, ac Conſultiſſimi D. Ignatii Rabenſtein, AA. LL. & Philoſophiæ Magiſtri.

Prænobilis, Generoſi, ac Conſultiſſimi D. Wenceslai Schramek.

Prænobilis, Generoſi, ac Conſultiſſimi D. Adalberti Kegler.

Prænobilis, Generoſi,

ac

ac Consultissimi D. Francisci Christoph.

Prænobilis, Generosi, ac Consultissimi D. Wenceslai Lysander.

Prænobilis, Generosi, ac Consultissimi D. Francisci Fatigat.

Prænobilis, Generosi, ac Consultissimi D. Francisci Sprenk.

DE-

DEDICATIO.

UBi viam mortalis vitæ meæ inire occœperam, eò Viam meam Lacteam, Ethicam nempe Politicam dirigere, Veſtríſque inſcribere nominibus attento, Prænobiles, Conſultiſſimi, ac Doctiſſimi Domini Viri Patritii, eô quidem votô, ut

ut illa è lacteis argenti venis Viatoribus meis Ethicis tantò illuceſcat clarior, quantò jam antehac præclaris paſſibus Veſtris emenſa, ceu ducibus fidiſſimis patentior facta eſt, atque illuſtrior. Neque, velim, exiſtimetis, me hac inſtituti mei ratione Vos manuducere velle, verùm illam ipſam ſolùm Cursûs Veſtri laudatiſſimi ſemitam tot coloribus, quot doctrinis ad vivum adumbrare peroptabam, quam vos infractô ſemper ani-

animô uni Ethicæ, Felicitatis Patriæ, ac Reipublícæ conſervandæ ſcopo intenti Magnanimi decurriſtis Stadiodromi ad virium etiam veſtrarum deliquia, ſudoréſque uberrimos. Vt enim *Dulce Viatori laſſo in ſudore levamen*, (a) ſuperata viarum incommoda memori mente revolvere; ità non minùs Vos Glorioſi Cursûs Veſtri Politici, inſpectis viæ lacteæ meæ ſtationibus Ethicæ veſtræ legatis monumenta; quæ quidem Vobis documenta non ſunt

(a) *Catullus.*

sunt, utpote, qui omnia de Doctrina Ethico-Politica in opusculo meo consignata exemplô ipsô solertissimè comprobâstis, verùm aliis experimento. Enimvero nunquam deviæ labilis felicitatis viæ institistis, nec *Vulgi pedibus detrita viarum strata decurristis ; (b)* Verùm quisque Vestrûm *Quamcunque viam Virtûte petivit, viámque affectat Olympo* proximiorem. Testantur id hodiedum Aquilina ingenia Vestra, quæ id certè Virtutis ac Sapientiæ suffragiô com-

(b) *Lucretius.*

commerita ſunt, ut pene cœlicam cum Aquila viam Lacteam pervolarent, aut certè ſtellarum inſtar cum Heroibus coruſcarent, atque indè etiam meam in terris Galaxiam, ſeu Viam Ethicam ſibi haberent ſuppedaneam. Meruit nimirum id Viatrix Fides Veſtra, quâ Duce etiam inter hæreſeon avia, & devia Regiam Cœli Viam Firmiſſimi ſemper tenuiſtis Orthodoxæ Fidei Defenſores; ſíque etiam in mediis hæreſum fluctibus, in patrio Veſtro

ſtro ſolo non nihil nutantem ſpectaretis Romanæ Eccleſiæ Cymbulam, eam Vos Fidei Veſtræ firmitate in ſpem erexiſtis ; quâ ceu anchorâ immotam ſtare feciſtis ; quin imò Leonino prorſum robore Leones in via interriti veræ fidei , ac ſpei ſemitam emetientes rectam, firmámque ſemper tenuiſtis ſtationem. Teſtantur id avitæ Pietatis, Religionis , Magnanimitatíſque Veſtræ monumenta , Fides, & Spes, Leones & Aquilæ, avita Urbis Veſtræ,

quam

quam Virtute, ac Sapientiâ
ſuſtentatis, inſignia, à qui-
bus edoceor, Digniſsimos
Vos eſſe Stadiodromos, qui
Viâ argentô inſtratâ ad ſi-
dera uſque Heroum more
gradiamini, quos cœlum
ipſum in Montibus Veſtris
jam ante ſæcula uſque adeò
liberaliter locupletavit.
Quæ omnia cùm animô
meô revolverem, nihílque
diſpicerem aliud, nisì in via
mortalitatis Veſtræ curſum
illum, quô Conterraneis Ve-
ſtris Honori ſitis, & Gloriæ;
ego ne ignavus eſſem hono-
ris

ris Patrii, Veſtræque cum-primis Gloriæ Promotor, opuſculum meum Vobis ſacrum eſſe volui, cui vel exinde honor accreſcit maximus, quòd Nominibus Veſtris inſcriptum lucem aſpicere publicam mereatur. Agite proinde, & Honoris Veſtri ſtudioſam Viam Ethicam meam, imò Veſtram, benevolè ſuſcipite, quam Vos quidem exemplô Veſtrô emenſi eſtis conſummati Ethico-Politici Viatores, ego verò brevibus mitigavi ſtationibus,

ut,

ut, ſi qui Aquilinum Volatum Veſtrum nequirent æmulari, Viâ ſaltèm Ethicâ, ſtationibus ſuis interſtinctâ vel reſpirando valeant veſtigiis Veſtris inſiſtere amatores Ethicæ Studioſi. Favete itaque, & Libellum hunc Veſtrum fovete, quocum & foveantur morum ſtudia, unde ſua cuivis perennatura ſalus ſit, quam Vobis cumprimis ex animo voveo integerrimam.

P. Petrus Janowka,
è Soc. JEſu.

FUNDAMENTUM VIÆ LACTEÆ ETHICÆ.

Pars I. Fundamenti

Principium ſinè Principio

Seu

Principium omnium Principiorum

DEUS.

GRande ordimur iter, nec nisì giganteis paſſibus metiendum Politice. Iter tamen illud non ſinè principio, quia non ſinè arte decurrendum, quandoquidem ipſa via

lactea politica, est ars moralis, Ethica; habet autem ars omnis principia, vesanúmque arbitrêre homulum, qui sinè principiis physicis finem scientiæ naturalis velit aucupari. Nunquam Stadiodromus viæ tenebit terminum, si ignoret initium. Hærebit item in styva sua Mopsulus omnis politioris culturæ & morum ordinatorum expers, si istiusmodi eruditionis exordia nesciat auspicari. Quemadmodùm autem scientia naturalis principio gestit ordinato, dum corporis in fieri etiam terminum à quo supputat prò principio, ità & quidem præstantiùs Scientia nostra Ethica, principium sinè principio, imò pro principio finem, pro initio terminum, verbô, omnium principiorum Principium, & Finem, DEUM reputat. Et vel ideò mi fidelis ac moriger Stadiodrome viâ hac lacteâ nostrâ politicâ transverso ordine tibi erit gradiendnm, ità, ut primum includas

das in fine principium, ultimum in principio finem; erítque DEus actionum tuarum in fieri principium, tanquam terminus à quo, nunquam deferendus, & tanquam terminus ad quem, ſemper quærendus. Verùm tamen ùt ùt ſit terminus tuus à quo & ad quem DEUS, *nam peregrinamur à Domino*, cave, nè ab uno termino receſſeris, nunquam ad alterum aliàs acceſſurus, ità viam tuam ordire, nè unquam à principio hujus recedas, & terminum, finémque contigiſti; verbô, ſtando curre, currendo ſta, dum via noſtra, quam orſi ſumus, per continuas fortunatiſſimè decurret Stationes. Secùs ſi facis, non Ethicus, ſed Atheus es; infelix profectò peregrinus, qui à meris caſibus viam dimetitur; infirmè figit pedem ſuum, qui caſu ſe ſtare, aut ambulare cenſet, tales ſunt ii: qui omnia à caſu, fato, fortuna ſuum habere exordium æſtimant; verùm qui Fato

ſuorum operum litant primordia, una à fatuò ſejuncti litera clarè perhibentur; ſi verò à caſu actio occipi omnis reputatur, quid nisì ruinæ turpis ſit prognoſtica. Quod ſi Fortunæ, quælibet humana viciſſitudo, quorundam lunatico cerebro id ipſum excogitante accenſetur, quid nisì animi ad rotæ volubilitatem affixi momentanea dejectio conjici valeat? quid nisì eorum vita ad venti flabrum cum vertumno immutari? inde conſequitur mali ejuſmodi Politici pietatem eſſe impietatem, DEUM illius eſſe caſum fortuitum, Sacramenta eſſe infanda juramenta, Divinorum officiorum completoria aulicorum illi eſſe complementa, ſic nempè qui fato tribuunt rerum initia, plerumque fatuos vident rerum exitus, & qui caſui dant primordia, cum ruina & caſu terminum rebus imponunt. Verus Ethicus etiam Ethnicus DEUM ſtatuit principium. *ab Jove prin-*

principium, *ab Jove omnis honos.* Præ Ethnico Christianum Ethicum agere hoc æstima, ità Clavio *à DEO victoria*, ità Carolo Magno, *Christus regnat, vincit, triumphat.* Ità tibi actionum tuarum DEUS esto principium, medium, & finis.

Pars II. Fundamenti.

Finis in Principio.

PAradoxam tibi gnomen fortassè occento, dum à fine tibi incipiendum actionem præcipio! pone, ais! per imprudentiam prudentem te fieri oportere, ut enim bonum operi præfigas initium, à fine incipe, & in principio finem specta, inchoando cursum fini; aliàs

Dimidium facti, qui bene cœpit, habet.

Ethicus, si probè incipit, finem operi dat consummatum, nam quæ fine bono agere occipis, etsi non perfeceris finem optimum es sortitus.

titus. At, qua ratione id tibi assequendum rear ? percipe :

Quidquid agis, prudenter agas, & respice finem.

Finis, qui primus in intentione, primus intendatur in Ethici operatione. DEUS est finis ille, si DEUM operis finem non intendisti, à DEO non incepisti, à quo incipis, in hoc finis ; ceu ab α ordireris Elementa, & in ω desineneres, dispar hæc paritas initialis & finalis literæ unus esse debet vero Ethico terminus à quo, & ad quem, unum initium & finis, quandoquidem DEUS est Alpha & Omega. Frustrà alios intendis fines mi Politice ! in quibus nequis subsistere, si à te incipis, in te desines, sublimes licèt turres honorum ac cacumina conscendere pertentes, ad lutum recides, si te solum ùt finem quæsiisti, in terra sedebis, *quia terra es*, quam quia quærere inordinatè occepisti, tanquam finem tuum post tanta molimina

limina attigisti. Quod si supremum finem intendisti DEUM, abjecto licèt cum Codris latebis tugurio, licèt solo salóque despectus autumeris, licèt omnium postremus censearis, omnibus excelsior vita tua erit, quia DEUS in excelsis habitat, cui tanquam fini tuo semper temet univisti; à fine autem desumi excellentiam facti nemo non ignoravit. Neque sola id Christiana Philosophia, sed ipsa adeò Ethnica ac gentilis Stoa DEUM homini (ut beatè vivere queat) finem ultimum præscripsit cumprimis schola Pythagorea, quæ apud Demophilum ità decernit: *Haud facilè beatum dixeris hominem, qui amicis vel liberis aut ulla re fluxa & caduca nititur: cuncta enim hæc lubrica sunt, at DEO niti id solum firmum & stabile est. Fieri haudquaquam potest, ut unus, idémque & voluptatibus & corpori & opibus parandis, simúlque DEO vacet: nam duplex bonum finis esse non potest, u-*

num illud proindè bonum fini est aptius, quod bonum omnium bonorum est optimum. At quod illud est? ex Cynicorum facilè Principe id cape Epicteto tum cap. 12. tum 77. *Ubi in quovis incœpto ad DEUM monet suspirandum esse*, ut ducat, quò destinavit, & sequendum esse alacriter. Idem Philosophia Christiana sensit cum Aurelio acclamante: *DEUS est Finis, summúmque Bonum, ad quod referenda sunt omnia, & ab hoc omnis actionis sumendum est initium.* Verùm, infames quipiam Epicuri Camilli ea Politiæ insufflant principia, ut ad eum finem collimet animi, ubi beatitudo in mensuris & cyathis, in lancibus & impinquatis orbibus mensuram suam nanciscetur, ubi DEUS venter erit, hic enim finis Politicorum est Epicureorum *bene beatéque vivendi*: sed pecudis hoc non hominis bonum, atque finis est. Ad palatum quondam suum aliquid definivisse visus est Epicurus, dum finem

Lib. de morib. c. 14.

nem in voluptate constituit, verùm non inconcinnè ab Ennio perstrictus: *Dum palato quid sit optimum judicat, cœli palatium non suspexit.* Si Ethicam Christianam ex asse combibere conamini *quærite, quod quæritis, sed ibi non est, quod quæritis, vitam beatam quæritis? in regione mortis? non est ibi, quomodo enim ibi vita beata? ubi nec vita?* Sic nempe, qui finem in vita mortali roseis respersa voluptatibus statuit, immortalem finem amittit, dum morte finem vitæ auspicatur, & beatitudinem veram tum præsentis vitæ tum futuræ ante initium terminat. Secùs si finem vitæ suæ, actionúmque præfigit immortalem, Beatitudinem orditur ante initium, & miseriarum humanarum plenitudinem teminat ante finem. Modò quidquid agat, prudenter agat, & respiciat finem ultimum.

STA-

STATIO I.

Prudens Imprudentia.

Declaratio.

ETiam imprudentûm notæ, non rarò Ethicæ sunt Prudentiæ fulcimenta, imò & is orbi laudatur ac probatur prudentissimus, qui sapienti imprudentia suam commendat Prudentiam; nunquam Posthumas audirent Panegyres veterum monumenta Philosophorum, nisì prudentis imprudentiæ ùt plurimùm spirarent commendationem, queîs salsè simul ac lepidè, & vel ideò humano palato non ingratè illabebantur, moréſque perstringebant ad emendationem. Ità certè Diogenes de insipientibus hominibus Brutis, homines veros efformâsset nunquam, nisì imprudenti ad modum actione,

Epigramma 1.

Dum perit et crebris sorbetur Nauta procellis

Ne perdat vitam, perdere gestit opes.

Sæpius imprudens, Summa est prudentia, factum

Sæpe alii ut sapiant dissipuisse juvat.

ne, accensâ lucernâ ad ſolem meridianum forô patulô homines inter homines ipſos quæſiiſſet, & ùt ùt ſe hominem nullum tot inter millia circumſtantia reperîſſe quereretur (quia animantia judicabat irrationalia, qui ratione poſtpoſita parùm aut nihil humani agerent) tamen ad apricum ſolem ſuam orbi patulam fecit prudentiam poſterorum hodiedum mentibus profundè inhærentem. Nunquam Demoſthenes perorationis ſuæ pro Bono patriæ ac ſalute dictæ ſortitus adeò felicem fuiſſet terminum, nisì ubi diſtractum ac inattentum offendens Auditorem, & ipſe diſtrahi, ac in diverſiſſimam ab intento dictionis fine fabellam de aſini umbra averti audiretur. Quô is raptus imprudentiæ malo? non vanè conjicere potuiſſent Auditores. Et non abs re, imprudens equidem dicendi methodus fuiſſet à propoſito, finéque dictionis graviſſimo fabellas decantare

alie-

alienas, nisi à fine, quo dicta est, hodiedum prudens laudaretur imprudentia. Ità equidem Demosthenes, avidè in fabulæ exitum intentos ac attentos jam Auditores, fulmen, flumine secundo orationis ac cursu pristino dictionis reassumpto detorquendi nanciscitur opportunitatem, illa priùs ab occasione imprudentis in speciem dicendi methodi deprompta invectiva, tametsi succincta Philippica: *O Insanos Athenienses vos, de umbra asini audire plenis auribus peroptatis, de salute autem Patriæ audire recusatis*? adeò nempe imprudens in speciem actio prudentissima fuit Demosthenis, imò & esse debet Ethico cujuslibet intenti transactio. Utì enim de Stoa veteribus Philosophis, ità omnibus Ethicis imprudens prudentia in amoribus sit, est necesse. An non enim hæc imprudens censeatur tua mi Ethice agendorum regula prima & ultima, ut si bonum actionis meditaris

ris exordium, bonum priùs fortiaris finem. Decet hæc profectò operandi ratio Politicum, ut finem prudenter assequatur, priusquam initium operis auspicetur; nullâque prudentiùs agi reputantur, quàm quæ ponè imprudenter à fine gradiuntur ad operis auspicium. Prudentia enim nihil aliud est: quàm finem rectum actioni præficere, quæ ipsa virtus (de qua præsens nobis procedit Statio) adeò Ethicam quantum ratio hominem sublevat, & vel ideò hanc pluribus commendare non vanum est. Est illa, quod architecto libella, quod ædili linea, quod amussis fabro, hoc Ethici actionibus prudentia. Hanc si ignoras, vivere temet ignoras, vita tibi est Prudentia, quæ Platoni *vivendi ars* reputatur; nempe *quod acies in oculo* (Sophoclis loquor oraculum) *hoc est prudentia in animo.* Luminis acies ad rectè gradiendum manuducit, *prudentia* Stagiritæ judicio

cio *ducit ad rectè vivendum.* Nè ſtupe Rudolphi Primi nulli virtute ſecundi nomine & meritò maximi ſymbolum : *Regni prudentia cuſtos?* nam olim jam Iſocrati *Prudentia fuit optima Regni cuſtodia.* Hac Rectrice Jacobus IV. Scotiæ Rex, Regno ſtabiliendo uſus, hac Ethicus regat animum. Rex erit, animi Dominator, ſi illum rexerit Prudentia. Diem omnibus aſperſum demirabitur negotiis, ſi Reginæ hujus illum illuſtraverit ſerenitas. Fanum illa quippe efformabit, qui ſyncipitis vultu præterita, occipitis facie futura, utroque præſentia diſpiciat cum illo Ethico digno Homeri adjecto adagio : *Quæ ſint, quæ fuerint, & quæ futura trahantur, intereſt prudentis Ethici diſpicere.*

Verùm quod primum eſt, ad canos non rejiciat Prudentiæ maturitatem, etiam namque hæc amat in lacteſcente lanugine ſuam repræſentare Majeſtatem ; etiam pueritia ſuos habet prudentulos,

& adultâ non rarò Adoleſcentes in rebus agendis prudentiâ efflorescunt; neque enim cum rudimento penſanda eſt ſemper, ſæpiùs æquè in viris non eſt ex barba protenſiori legenda virtutis hujus maturitas, quæ in mente circumſpecta, non mento conſuevit matureſcere, atque in florenti ætate cumprimìs amat efflorescere. Voluit tales in Legatione Veneta ſibi ſubmitti Fridericus Tertius Imperator natu grandes, quíque in barba prudentiam circumferrent, & vel ideò Juvenes expeditionis Miniſtros audientiæ ſuæ indignos rebatur, verùm ab admiſſis tandem in conſpectum Legatis hoc ſarcaſmô ſalutatus eſt: Auguſtiſſime Cæſar; Si Reſpublica Veneta prudentiam putaret in barbis inveniri, quid nî & Majeſtati Veſtræ duos barbâ protenſiore conſpicuos ſubmiſiſſet hircos Legatorum munus obituros, verùm námque nimis illud eſt:

Si

Si prolixa facit Sapientes barba, quid obſtat?
Barbatus poſſit, quin caper eſſe Plato.

Adeò nempe etiam rude mentum menti jungitur eruditæ, & prudenti, modò adoleſcens leves à natura adhucdum mores ad pondus libret prudentiæ. Fit autem id, ſi à teneris leges hujus condiſcant, aut à ſenum exemplis ac documentis eandem mercari collaborent. Egit id Regulus quidam, dum adhuc adoleſceret, à decrepito Barbione, protensóque per mentum capillamento venerando prudentiàm vendituriente mercatus eſt marcis centum; mercis univerſæ ſubſtantia, his paucis contenta erat verbulis: *Nil temerè agat, temerè nîl attentet.* Quam gnomen mercator prudentiæ ſenex januis, vaſis, lancibus inſcribi omnibus præceperat. Exorta interim ſeditione contra Regulum ejuſdem barbitonſor ad præciden-

dum

dum jugulum à rebellibus corruptus & persuasus, dum facinus jam jam moliretur, pelvi insculptam cernit comminatoriam gnomen, *nîl temerè agat, temerè nîl attentet*, quâ suum fortassè nefas jam patens perstringi ratus cohorruit, nec jam jugulum compungere, verùm animô compungi, quódque occultè machinaretur palàm adactus est confiteri. Tantùm nempe etiam in tempore, ac à teneris valet maturè Prudentiæ à senum exemplis ac documentis desumptæ inhiare.

Applicatio.

QUod ut faciliùs attingas, signa inspice in aliis adultioribus Prudentiæ, ac Imprudentiæ; si prudentem ab imprudente discreviſti, prudens jam fuisti, si detesteris hunc, illum imitère. Hæc prima autem tibi sunto indicia.

Signa hominis imprudentis.

I. *Qui pertinaciâ, arrogantiâ, ac garrulitate proficit, à prudentiæ tramite deficit.* Ut ergo viam lacteam gradiaris Ethicæ, tramitem arrogantiæ, pertinaciæ, & garrulitatis, quem alios decurrere notaris, tu sôlers devita, & Prudentiæ suspiciêre ornamentum. Prudentem etenim humilem ac tractabilem requirunt Pontificum Conclavia, Regum secreta, Principum consilia, aularum, curiarum subsellia. Unde illud Martini IV. Pontificis Legato responsum meditare, à Petro Aragoniæ Rege depromptum; *Ego inferiorem tunicam lacerarem, si cogitationum mearum conscium scirem.* Nullum quippe conscium esse oportet rerum à Regibus tractandarum præter Consiliarios. Quòd si verò garrulas picas secretorum Cancellorum senserint subsellia; ohe! in quot orbis partes ac ineruditas etiam agrestium plagas refringent secretissima negotia, super quot tecta ab ejus-

ejusmodi linguæ solutioris passeribus prædicabuntur Principum arcana, Prudentiæ eximiæ commendandæ, scilicet: documenta.

II. Videat Politicus, si passionibus aguntur alii, is nil minùs pati detrectet, ac collaboret, quàm agi passione; decet enim Politicum sibi & omnibus, ut sit idem, dissimulando mala, non se justum simulet, conformiter desiderio Friderici III. Imperatoris, senioribus suis coram convocatis dicentis: *Utinam mei Consiliarii duas res in palatium non afferrent, simulationem & dissimulationem.* Pessimè namque, nec nisi imprudentia Præside consultatur, si privatus affectus consilium comitatur.

III. Si præcipitent alii, is actionibus suis moderari atque temperare nè intermittat. Libret scilicet illud Caroli V. effatum Ethicum: *Saturnus Planetarum supremus tardissimè circumagitur.*

His itaque contrariis præmissis

magis contrariæ sequentes elucescunt consequentiæ.

Signa hominis prudentis.

I. Prudentis est malle auscultare, ac audire, quàm audiri.

II. Nec omnibus, nec facilè credere.

III. Promptiùs sua dare, quàm petere aliena.

IV. Non facilè judicare; nisi auditis rationibus ac parte utraque: *Qui* enim *statuit aliquid parte inaudita altera, æquum licèt statuerit, haud æquus fuit.* Seneca in Medea Act. 2.

V. Prudentis est de aliis bene loqui, ac laudabiliter, neque absentûm famam convellere, & utinam illa S. Augustini redargutio etiam inter convivia suum vigorem nanciscatur:

Quisquis amat dictis alienam rodere famam;
Hanc mensam vetitam noverit esse sibi.

VI. Cavere assentatoris duplicitatem, & æquò indiscretiorem

rem erga omnes benignitatem, aut potiùs animi molitiem.

VII. Colere majorem, non ſpernere minorem, contemnere neminem.

VIII. Rerum geſtarum gloriam magìs aliis, quàm ſibi inſcribere.

IX. Amicum conſervare, etiam ardua ac abjecta ejus amore gratus ſuſcipere.

X. Non obeſſe uni, ut proſit alteri.

XI. In adverſis æquanimem ac alacrem eſſe animô, nec nisì divino niti in his fulcimento.

XII. Conſilium ſapiens non nisì ob gravem cauſam immutare.

XIII. Rem agendam animô priùs revolvere ſolerter quid expediat? quid non, quantumvìs etiam liceat.

XIV. Quò plùs laudibus quis extollitur, minùs ſibi credere, non enim præconiis meliorem ſe fieri reputet, verùm blandiori penicil-

lo depingi se æstimet, ut eò proniùs macula notetur impacta.

XV. Alios prædicari, etiam inimicos approbare, nec livida aure id excipere.

XVI. Injuriam impactam magè dissimulare, quàm defendere, victoriam locando in modestia; nisi vergat in præjudicium, vel perniciem.

XVII. Vi ad rem habendam non uti, & litem malle cum tenui jactura cedere, quàm promovere.

XVIII. DEUM venerari super omnia, viveréque ceu hodie non victurus.

Regulæ Prudentiæ.

I. OMnibus etiam doloſis esto candidus ac syncerus, ità namque syncerè consilia poscentibus opitulaberis, insyncerè verò petentibus syncerè & sapienter illudes, dum ii pari dolô secum agi æsti-

æſtimantes tuis minimè credituri ſunt ſuaſionibus, atque ità vitiô ſuô foveas ſibi ſtruent, in has devolvendi, quas conſulenti parabant.

II. De proximo, ſub quocunque ſigillo, ſiniſtrè nè loquere. Quod etenim tu reticere neſcis; quomodo ſperas alterum taciturum. Parietes ac elingues putati ſtipites non rarò loquaces efficiuntur. Quantúmque aqua cribro, tantùm ſecreta homini puta inhæreſcere. Sed dices, ſunt erga me confidentes, cur non credam? ſed audi! quid ſi etiam erga plures alios eſſent confidentes?

III. Alterum in re quapiam informaturus in ſe praxim faciat Ethicus hujus eluceſcere, ceu cibum ſtomacho committens digerendum ipſe priùs maſticare nè intermittat, nè crudus videatur bolus condiſcenti.

IV. Ut quietè vivat, non in-

quietus exploret, quid de vitæ ſuæ tenore ſentiant alii.

V. Si quando ſeu nocens ſeu innocens corrigitur, non nisì petitus innocentiam retegat, nam non petita excuſatio frequentiùs putatur ſuimet ipſius incuſatio.

Tabula Prudentiæ.

Sapiens dominabitur orbi.	Noli	Facere	Omnia, quæ	Potes,	Quia	Superbia
		Inquirere		Neſcis,		Curioſitas
		Dicere		Scis,		Stultitia
		Credere		Audis,		Levitas
		Dare		Habes,		Prodigalitas
		Judicare		Vides,		Temeritas

STA-

II.

Epigramma

Scire tuum nihil est, nisi te met nosse sciaris
Ceu Corydon undis qui sibi visus erat.
Te ergo vide! pariat quos mens, quos corpora nævos
Sic visum; invisum non facile ullus habet.

STATIO II.

Scientia ſinè Scientia.

Declaratio.

NUnquam eluceſces moribus pulchriùs Chriſtiano-Politice, quàm ubi tibi ſolers luxeris, ut videas temetipſum, multùm enim ſcies, ſi te ſciveris, etiamſi cætera neſcias. Atque ità habebis ſcientiam ſinè ſcientia, ſcientiam tui, ſed ſinè ſcientia cæterorum. Fortaſsè externa plumarum ſuperbis ſpecie Pavo inflatus; ſed heûs! pedes inſpice, noſce te ipſum! Helenam ſe putavit centiruga ſemel anus, at ſpeculo oculis injecto, criſtatam cum Pavone demiſit ſuperbiam, dum vidit, quem Alectûs

ctûs vultum circumferret. O! ſi mentis oculos in ſpeculum Chriſtianæ Ethicæ conjiceret Politicus, quàm is ſublimes animi de ſe cogitatus, laudum propriarum plauſtra ſupprimeret quantocyus, ſi natalium memor: quâ ſit origine natus, penſitaret; Unum porrò optimos mores imbuendi eſt remedium, una hæc in ſpatioſa via noſtra lactea compendioſiſſimáque ad felicitatem hominis ſemita *noſſe ſeipſum*, & ſi Delphum cum Cræſo Lydorum Rege conſulueris, quinam ad beatum hominis ſtatum trames ſit rectiſſimus, reſponſum capeſſes haud aliud, quàm eidem ipſi redditum : *Si teipſum noveris*, ſeu ùt Herodotus ait :

Cognoſcens te ipſum, fueris ſic Cræſe beatus.

O! quot ad alienos videndos defectus oculi nobis ſuppetunt. At verò propriis videndis in oculis noſtris hærentibus nævorum trabibus deſunt, conformiter huic Oveni: *Queis*

Queîs oculis videam ipſe meos, oculi
mihi deſunt,
Quâ mentem videam, mens mea
mente caret.

Verùm tamen mentis exacue oculos, ac quidquid interiorem & exteriorem deformat faciem, diſcute, & excute, deformatúmque reforma; quod in aliis cernis, in te emenda, notandum *quiſque ſuos patitur manes, & tu tuos, ac fors longè infeſtiores.*

Fabulatur Æſopus leonem pacis rupto fœdere cum volucribus bellum meditatum fuiſſe, eáque propter claſſicum quadrupedibus intonuiſſe, omniáque acciri in arma præcepiſſe. Adeſt præfinita dies, quâ in arenam omnes deſcendere haberent, cùm ecce pelliculæ fortè ſuæ aut aliorum ſubmetuens urſus adeſt, ajens: Venerande Domine Leo dic amabô! timida quid hæc animalcula? (lepores indigitans) quid ſegnes in bello aſini? inepti hi ad pugnam pugiles ad ar-

cades

cades rejiciantur, nè fortè & nos pavore horum perculsi fugam præ victoria adamemus. O! præclarum sanè strategum! ac innatæ celeritatis Ectypon, te mi Ursule! ô stultum Sugillatorem, *proprium* namque *est stultitiæ, aliorum vitia cernere, oblivisci suorum*, ajebat fortè Leo, lepores enim, ùt ipse nôris, celeres sunt, tabellarios agent. Asini portabunt onera, tu *vide te ipsum*, tuarum quid sit partium, expende. Sic sic mi Ethice! quos alii nævos circumferant, tuum pensare non est, tibi de Superis hoc datum est officium, soli ut tibi impendas curam noscendi animum tuum teste Juvenali:

Credite, de cœlo descendit noscere seîpsum,
Hinc bene, qui se se noverit, ille sapit.

Lechas Poloniæ Rex ab aratro ad regnum sublimatus, amictum ruralem inter regales locavit trabeas, nè prior animô conditio excide-

cideret, atque his quorum de ſtirpe fuerat, gratus ut non rarò exiſteret. Agathocles Siculorum Monarcha teſtaceis vaſis utebatur, nè filium ſe figuli fuiſſe obliviſceretur. Tales nempe ſunt veluti Trajano de ſanguine nati Politici, qui non fortunæ, verùm virtutis geſtiunt nobilitate.

At, qua ratione in ſui notitiam veniat Ethico-Politicus? utique exquiret? & fortaſsè exteras neſcio quas plagas permeare contendet, ut morum ſuorum à peregrinis Regionum conſuetudinibus conformationem, an confuſionem dicam, nanciſcatur? ſed non longas opus vias petere, non prodigere patrimonia, non fruſtrà ac in ſui non rarò perniciem longa metiri avia & regionum invia, è quibus, ô quoties deviam virtutem non retulit Patria Juventus. Non opus eſt ſumptuum multorum impendiô, prout ille in animum induxit nobilis Florentinus, dum 1000. flore-

nos

nos in partem aliquam Europæ percurrendam destinavit, ut morum hominum, suíque per horum comparationem combiberet notitiam, verùm à viro sibi peramico deterritus sequentibus: *Mi cognate! sepone mille florenos in tui petiùs quàm orbis cognitionem, magis tibi proderit domi tuæ vitia noscere, & illa corrigere, quàm extra patriam, cum maximo vitæ periculo, & notabili marsupii purgatorio peregrinum agere.* Ità nempe mi Christiano-Politice summam condisces politiam, si tui perfectam habueris notitiam, quam ut etiam in patria queas indipisci, mecum viam nostram ingredere lacteam, & sequentibus gradibus isthanc ad tui obtinendam notitiam emetire.

Applicatio.

MI Ethice! ut te nôris de facie, speculum præsens inspice: DEUS est illud speculum, istud noscendo, noveris te ipsum, illud ingemi-

geminando Augustin: *Noverim me, noverim te.* Quantum enim Numinis crescet notitia, tantum illius appreciatio; quantum hujus appreciatio, tantum tui depreciatio, quantum tui depreciatio, tantum tui clarior erit cognitio.

Cumprimis autem tecum tuisque cum actionibus rationem ini: ceu Carolus IV. Roman. Imperat. Boëmiæ Pater Patriæ, Christianæ Ethicæ Pupilla, quot annis secluſis Imperii ac Regni negotiis Carelsteinensi in castro cis Misam fluvium rupes & sylvas inter medio rationes inibat animi, nè (qui tot regna cognovit imperando) sibi ignotus esset, animum nunquam inspiciendo. In Vita V. Ernesti.

I. Namq;, cùm hostes plurimi nobis sint domestici, Jebuzæos enim alimus, passionum prælia ac pugnas videlicet contra hominem superiorem indies moveri observantes, noverimus nos oportet. Noveris itaque te Ethice, quarum virium sis?

sis? quantum his reprimendis opus sit roboris? sin segnis in te dispiciendo fueris, prælio passionum victus cades.

II. Noverit suos humores Ethicus, si enim iræ, impatientiæ, audaciæ, honoris ambitioni se novit amicum, nimis asperè sibi dominantem ancillam sciat choleram.

III. Si leporinum cor omnia tuta timens, si venter castrimargiæ deditus, si corpus totum plumis ac ronchis gestiat deliciari, phlegmati sororius es.

IV. Si immoderatè amans, Mercurióve compar vivo, dissolutè undique salias, ac corpus immoderatè volare penè velis, curiositate insuper ac levitate noteris, sanguis tibi est largior.

V. Si denique Heraclitus continuè flens, ac extremè tristans, aut etiam extremè repentè ridens Democritus, si absorptus Diogenes, si speculabundus Cleanthes noctes studendo vertens in dies, si denique

in

in desperationem facilis, crede, morosæ anûs Melancholiæ ac Hypocondriæ te esse nepotem. Id ergo si in te noveris humoribus his temperamentum adjicies, nè in extrema devolvantur. Ibíque nunc pedem munies, cùm noveris, ubi calceus premit.

VI. Malas ac peccaminosas dispice pariter propensiones, ut his funditùs extirpandis collabores, nihil siquidem hominem adeò vitiorum servituti addicit, utì si ignores teipsum. Teste quippe Seneca: *Hoc nos pessimos facit, quòd nemo vitam suam respiciat.* Lib. 12. Epist. 84.

VII. Mores inter conversandum, convivandum, ludendum, jocandúmve discute; hominem námque reddit morum comitas ac humanitatis studium, morosum è contra morum neglectus, imò & ferum ac bestiis parem probat. Id igitur tibi insculpe Ethice, ac récoque quod Romanus Sapiens sibi:

Lib. 3. de ira c. 36. *Speculator mei, Censórque secretus cognosco de moribus meis, &c.*

VIII. Quid membrorum desit compositioni? quæ lætitia aut morosa facies? an frons effrons ad omnia, & audax in alios obtutus? an labia diducta? dentes stupentes exhibeant? an manus, pedésque nimiùm levi motu gyrentur? nec enim solus animi nitor, sed & corporis Ethicæ Christianæ cordi est; & compositio exterior interioris animi est indicium. Denique *attende tibi ipsi*, monet Basilius, si te ipsum noveris, nullis vitiis commaculaberis, secùs: *Qui peccare se nescit, corrigi non vult; Deprehendas te ergo oportet, antequam emendes.*

c. 27.

Seneca Ep. 28.

STA-

P. Sc.

III

Epigramma

Incautas quoties, escâ, potu, Aucupis astus
Et modulante dolo fallere Svevit aves
Sic capit incautas astuta Politica mentes,
Ni visa; infida est Perfida in Orbe fides.

STATIO III.

Fides Visa.

Declaratio.

ME hercule! orbis modernus perpetua vivere videtur Bacchanalia, larvis namque ac simulationibus plena sunt omnia, faciem mentiuntur homines aliam, pingunt verborum stibio animi dolosi latebras, ut ipsæ tenebræ radiare videantur. Nitent ad illicium, ejusmodi Machiavelli trossuli, sed cave sis! vide mi Ethice, cui fidas; non omne, quod nitet, aurum est; placet colorata virtus Pseudo-Politici, sed nimiùm nè crede colori. Quæ *alba liguſtra* modò sunt, brevi *vaccinia nigra leguntur.* Ipsum adeò cœlum pictis illudit coloribus,

oculos fascinat, nunc claro affulgens solis lumine, brevi atrore ac furore phenomenúmque terriculamentis opacans omnia. Jam iridem mille coloribus gracilem repræsentat, dum interim solùm refractæ lucis apparentiâ mendaciter illudit oculis, sic nempe multa apparent optima, quæ nisi ad trutinam pensemus, fallimur opinione. Nam & non rarò Pacis iridem præsefert Pseudo-Ethicorum facundia, dum interim belli ac rancoris effundendi animo minas concludit. *Secretis*, teste Tacito, *criminationibus infamant versuti & dolosi, dum palàm laudant; & dum defectus excusant, accusant, ii nempe*: *qui dicunt malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.* Quoties Adonidis intrà hortos Labyrinthos construunt, ut irretiant, quoties in obsequia fictis pedibus pedicas struunt, quoties lucent non ùt stella, sed velut stelliones, dum sub luce luem propinant! quoties

& non

& non rarò Joves mentiuntur amphitryones, & Mercurii ſervos ſoſias, ut alcmenas circumveniant. Ut non nisì ars quædam alios fallendi paſſim malè reputetur. Siquidem ùt vates canit:

- - *Fugére pudor, verúmque fidésque.*
In quorum ſubiére locum, fraudésque, dolíque.

Quibus præcavendis nè lynx quidem potis ſit ſufficere; crede Ethice: Vertumnus totum hodie ſæculum eſt, & nemo gratior nisì Protheus. Simplicem idiotam exſugillabit Pſeudo-Politica, ſi lingua cordis propola fiat, omnes candore atræ cuti ſuperinducto nitentes eſſe geſtiunt cygni. At plumas examina mi Politice & pauliſper revelle; id namque lugendum hodie vel maximè, quòd utì olim imperium, ità nunc Græca fides orbem inundet penè univerſum; Quapropter cautus eſto, fide, ſed cui, vide; ſimiles dolos, duplicia verba pari e-

lude dolô, vim vi repelle, fidem non nisì visu explora.

Salutabat quondam vulpes gallum arbori insidentem, num pacis decretum feras inter concluſum intellexiſſet, ſciſcitatur? negante id gallo ait vulpes, ità equidē eſt, pacē nos inter ſancitam credito, metum depone, & me accede. At enim verò vulpe quavis doloſior gallus, reſponſum fortè ſequens ex occurrenti depromptum redhibet: Ecce tibi inquiens: Domina vulpes! quantum veritati tuæ accedam; pateat: auguror etenim duos hos raptim huc contendentes canes decreti pacis Bajulos ad nos quoque accelerare; quô dictô, gallo inſidiatrix vulpecula conterrita è medio ſe ſuſtulit, ſuos ut hoſtes effugeret inſidiatores; fugienti acclamat gallus, quò te pedes chara vulpecula? cur fugis? nunquid enim fœdus pacis inter animalia pactum eſt? at illa, dubito ait, utrùm de eo canes intellexerint. En modum mi

Ethi-

Ethice, quô gallus etiam vulpem elusit astutissimam *non fidendo*. Scilicet age & tu conformiter illi proverbio: *cum vulpe si non vulpinandum, saltèm cautè agendum*. Et si lachrymas quandoque amoris testes ac doloris signa depromat alius, nè crede lachrymis, etiam gaudia non rarò cient lachrymas, atque *præ gaudio flere inimicos*, quotidiano usu experimur; recisum à corpore caput affertur Julio, sed, tametsi nîl jucundiùs spectatu esset Cæsari, gaudium lachrymis mersit fictitiis. *Periisse Germanicum nulli jactantiùs mœrebant, quàm qui maximè lætabantur*. Tacitus l. 2. Annal. Fide ergo jam Ethice! sed cui? vide; neque primo obtutui ac vultui crede, nemo enim Jonatham noverit, qui larvam Joabi non removerit.

Applicatio.

UTì corpus Medico, ità animum alienum Ethico prænoscere

perquàm utile videtur: si ergo noſſe aliorum placet genium, ingeniô opus eſt ſagaciori:

I. Ut noſcas v. g. Petrum familiari ejus amiciùs utere, cui Petrus ſit in amoribus, quis enim amabò ſibi moribus diſparem adamabit, quando quidem *Similitudo morum mater eſt amorum.* Et ità *noſcitur ex ſocio, qui non cognoſcitur ex ſe.*

II. Ex queîs ſignis tuorum humorum prædominationem agnoveris, ex iiſdem proximi naturam notabis, ſi enim virtute is naturam non fregerit, tum illa ſalerni ſigna tibi ſunto regula, qualis quis eſſe humoris cenſeatur..

III. Temulenti loquelam probè annota; *in vino quippe veritas*, & plerumque inter vitra clariùs tralucet animi conſtitutio.

IV. Si vis noſſe alterum, expecta occaſionem, quando ludit, animus enim in luſu ſolet laxari, & apertô quaſi oſtiô egredi.

V. Si vis ſinceritatem jactabundo-

dorum explorare ; ità operare : Gloriatur aliquis de itineribus, de militaribus geſtis, de ſcientiis, &c. tot & tot annos hìc & alibi tranſegiſſe, computa intrà te omnes hos annos, & vice quadam alia explora ſubitò : quot annos ætatis ſuæ computet ? aut quo anno hoc, aut illud facinus egerit ? & deprehendes fallaciam. Gloriatur itèm aliquis de civitate luſtrata, finge v.g. turres & palatia, quæ nec in concavo lunæ dantur, quæ ſi laudaverit ! prodet exinde fallacem ſuam jactantiam.

VI. Si alius tuorum, aliorúmque ſecretorum cupit eſſe avidiùs conſcius, & ad hæc manifeſtanda importunè ſollicitet, ſuis interim omnibus mordicùs occultatis, cogita hunc vix ſincerum eſſe ; tales autem homines ſæpè ſermonem ſiſtunt, & variè interſcindunt, & nunquam ſe ex toto expectorant ; ſed quaſi per ſubitas prunas, & ſpinas ambulant.

VII. Qui

VII. Qui Bacchum colunt, ſunt quaſi pertuſa dolia, & non habent verborum ſibi concreditorum retentivam. His ſecretum nullum concrede, ſed quære tibi amicum ſtrictioris obſervantiæ.

VIII. Si quis omnia cryſi notet & traducat, arrogans Thraſo eſt; ſi omnia probet, adulator eſt, ceu is erat, de quo fabulatur Æſopus. Ægrotus quidam à Medico rogatus, quomodo valeret? repoſuit: plus æquô ſe ſudori innatâſſe; ad quod Archiater: *bonum*, ait, *hoc eſt, cùm maligni humores à natura expelli cognoſcantur.* Secundò ſciſcitanti cùm exponeret Hemo-Phthiſeos malo correptus patiens ſe tuſſi urgeri vehementiori, identidem adjicit valetudinis accurator; *& hoc valdè bonum eſt.* Tertiò rursùm poſcenti, quomodo ſe haberet? cum ſemi fortè animis penè tantùm adſibilaret? ſe pectore toto opprimi, ac voce jam deſtitui robuſtiore. At enim eandem recantari audit à Curato-

ratore cantionem, Papæ! *& hoc admodùm bonum eſt.* Neque enim tenerior ac mollior vox pectori oberit infirmo. Indè animam propè agentem ſollicitat unusquispiam domeſticorum, ùt habes? obſecro: Ohe! cum lachrymis reponit ægrotus! en ùt plurimis affligor morborum generibus, cùm autem hæc bona omnia Curatoris ſponſione intelligam *præ meris bonis perire cogor.* Tales ſi noveris Ethico-Politicos Pſevdolos, affirma ac conclude, & qui ſemper ad gratiam loqui ſtudent, neutiquam gratias tribuere, verùm cum tuo inſuper detrimento mẽdicare comperiuntur.

STA-

STATIO IV.

Amicitia inimica.

Declaratio.

NOn omnis amicitia eſt amica, ſæpè amica pocula fuêre toxica, & ubi luſiſti, ſæpè te ſubmerſiſti, tam fraudulentus eſt oceanus amor. Unde profundum amicitiarum eſt acuta bolide tentandum, antequam incipias in hoc mari velificari. Cicero lib. 2. de amicitia monet: *Cautio adhibenda eſt, nè nimìs citò diligere incipiamus.* Siquidem plerumque decipimur, & amicitia, quæ putabatur amica, ſæpè fuit inimica. Raró etenim hodiedum Theſei & Pirithoi, Achillis & Patrocli cernuntur exempla, & forſan Poëtica magìs, quàm hiſtorica: ut ipſe in rem noſtram accinit Ovenus: *Mil-*

Epigramma IV.

Est idem Scopulus, sit spumeus æquora Caurus
Ante et post pariter nubila Phœbe nites
Prospera sint, Idem est; Idem inter nubila amicus
Si semel est alius, jam fuit ante alius

Millibus ex multis unus vix fidus amicus,
Hinc albo corvo rarior esse solet: Hieron.
Amicus etenim diu quæritur, vix invenitur, difficillimè servatur. Enascitur arvo Sinensi ex flore arboris cujuspiam avis visu rara colorum varietate rarissima, omnésque in sui admirationem rapiens, verùm marcescente flore emoritur. Talis hodie avis est amicitia, cum flore vivens cum deflorente fortuna emoriens:

Cum fortuna favet, multos numerabis amicos,
Dum fortuna perit, nullus amicus erit.

Inter floridas fortunæ vices nascitur, sed hyemem ærumnarum non sustinet: emoritur. *Et vel ideò delige, quem diligas*, monet Erasm. tritúmque discute probè adagium: *Nemini fidas, nisi cum quo modium salis absumpseris. Probatos ama, amatos non extemplò proba. Cuilibet dexteram nè junxeris.* Procustes sæpè sæ- Erasm. de Symb. Pyth.

vus

vus est, qui tibi formâ putatur Orestes. Sæpè sub Hespero factus est Vatinius, qui sub Phosphoro Pilades fuit. Verbô quem sæpè amabas amicum, damno tuo alebas inimicum. Longum proinde facito delectum, ut invenias dilectum. Neque plures dilige; unio amat unitatem, quod ipsum hortatur Pythag. *Cum omnibus amicitiam nè ineas. Si plures admittis, amabis, nec amaberis valdè.* Nam unus rarò constans est, quantò magìs plures? Calisthenem amavit Alexander, Senecam Nero, sed fortunâ in vertiginem actâ, brevì amicitia hæc facta est inimica, dum odiô pressi uterque acerbissimô, quin & posterioris venis incisis veniit amicitia & vita.

Gyrald de Symb. Pythag. Plutarch. de Tranquill. ani. 1.

Amicitia ergo verè amica *est concordia in sensu*, quia amicorum idem est velle, & nolle idem; est *constantia in adversis*, ceu oneris alieni supportatio etiam cum sui detrimento. Utì nux pinea ad ignem se pandit, ità amicorum corda ad reciprocum amo-

amoris ardorem. Sunt ſibimetipſi quaſi fons cryſtallinus *ad fundum ſpectabilis uſque.* Pectore aperto, ſuo cum diſpendio, quaſi Pelicanus ſanguinem fundit amicus pro amico, quem veluti lucem Lucina *ſolem* Phoſphorus *non deſerit unquam.* Seu ſecundi ſpirent venti, ſeu contrarii, ſemper amicè conſonat amicus amico, ceu Echo, quæ tanquam *alter Ego* annuit, ſi annuis; negat, ſi negas, flet, ſi fles, ridet cum ridente, querulatur cum querulante; ſeu illi placidæ aſpirent Eteſiæ, ſeu protervi perflent Aquilones, ſemper una, ſemper unita manet Echo. Ità amicus adit felicem, infelicem non deſerit, & ità dulciores facit proſperitates, leniores ærumnas. Ità ità membra adunare ſueſcit corpori ſeu reipublicæ, ità corpora capiti, ità capita & Præſides ac Principes corporibus; una ſi tollatur unio hæc animorum, ſi caput ſecetur à corpore, aut corpus à capite exanime jacebit chaos, ſusdéque volventur

tur omnia, tota humana ſocietas corruet infandiſſimè. Virente amicitia, virent omnia, vivente vivunt. Vixit Damon & Pythias ſub Dionyſio Syracuſano, quia unus pro altero mori præoptavit; ſic nempe omnia placidè diſponi pronum eſt, ſi ego ſim alter, alter ſit ego. Talis erat Alexander cum Epheſtione: qui uxori Darii Epheſtionem pro Alexandro ſalutanti repoſuit: *Non errâſti, nam & hic Alexander eſt!* ſic nempe ſi animi uniti ſint, tolluntur invidiæ, diſſidia, fovetur pax, tranquillitas nutritur. Verùm quàm & nunc rara avis in terris amicitia! & vel indè in ruinam penè labaſcit orbis machina ſenſim ſinè ſenſu, neque tamen plurimus ſermo in præſens mihi eſto de ea, quæ univerſi eſt animorum unione, ſed de hac quæ duobus plerumque conſtat & duos inter concluditur; quam ut ubique amicam conſtanter colas. Ad ſequentem praxim animadverte.

Ap-

Applicatio.

I. UT amicam adipiſcaris converſationem, inimicum tantiſper temet diſſimula, ac operire, quid tempore putatæ inimicitiæ moliatur? Incertum enim reddas oportet affectûs tui, quem explorare amicum meditaris, ſiquidem: *amicus certus in re incerta cernitur.* Si Ennius verò iratum placare, ac placatum magìs amare perrexerit, verè amat, & amicus eſt, juxta illud: *Amantium iræ, amoris integratio.*

II. Ceu cum inimico age; & tam cautè, ac cum proditore verſare, donec prudenter *eligas,* quem *diligas.*

III. Intende, ſi ollares amici coluntur, mors in olla tibi ferè propinatur. Juxta illud Hebræum adagium, amicitia eſt aut *amica ſocietas,* quæ eſt unio animorum; aut *mors,* quæ eſt diſſolutio amariſſima à corpore animarum. Et hinc ſcitè apponit hìc Seneca: *Negotiatio eſt, non amicitia, quæ ad commodum accedit.*

dit. Nè dilige amicos ejuſmodi, nisì inimicos geſtias adamare: accinit conſonèBilbilitanus vates l. 2.

Hunc, quem vina tibi, quem menſa paravit amicum,
Eſſe putas fidæ pectus amicitiæ?
Vinum amat, & cyathos, & ſumina, & oſtrea, non te,
Sublatô vinô nullus amicus erit.

IV. Amici ſunt compares hoſtibus, qui non amici, ſed ſuis ſtudent commodis, de his Seneca Epiſtol. 9. *Qui causâ utilitatis aſſumptus eſt, tam diu placebit, quàm diu utilis fuerit.* Proba, obſecro, multos, ut unum approbes, nam:

P. Hartung. in ſuis Philippicis.

Melopepones amici
Nunc temporis videntur,
Sunt plurimi probandi,
Ut unus approbetur.

Quin & hirundines videntur, quæ æſtivo tempore præſtò ſunt, fortunæ hyeme devolant omnes. Denique ſi planè vultures ſuſpexeris eſſe, aut corvos rapaces, metue ungues.

Seneca lib. de amic.

gues. Atratos fuge, corvos carnivoras.

Ab his cavendum, quos atratos vocant. Rheucl. de aat. cab. l. 2.

Et qui atrâ morum signaturâ dignoscuntur, quam tibi pensandum relinquo: illud Horatii in horas recoque, & in praxim reduc:

Niger est, hunc tu Romane caveto. Horat. lib. 1. Sat. 4.

At quoniam vultures ajo multas amicorum simias, non devolemus ab his. Ii sunt, *qui cadaver operiuntur*; ùt stringit aculeum Romanus Philosophus; *qui mortis horam sonare peroptant, ut cum fœnore bonis fruantur demortui.*

V. Quòd si è contra hoc distycho conspicuum suspexeris hominem.

Si quis in hoc mundo vult multis gratus haberi,
Det, cupiat, quærat, plurima, pauca nihil.

Id est: *Si det*, plurima, *cupiat* sibi præstari pauca; *quærat* sui commodi nihil; hic aurum probatum est a-

micitiæ. Hunc protinus *delige, & dilige.*

VI. Ad explorandum amicos hæc insuper dispice: verus amicus est modestè humanus, maturè suaviloquus. Falsus habet multum de fuco, ceu stybiô tinctæ mulierculæ, est nimiùm blandulus, ac effœminati sermonis.

VII. Si verba factis conformat, amicitiæ minimè diformis est.

V. Bed. in Alphabet Prov.

VIII. In adversis non recedit ab amico, nam Beda acclamante: *Amicum res secundæ parant, adversæ probant.* Verùm nè serò tuis propriis adversis probes amicorum inimicitias, atque, nè tunc de gubernatore cogites, dum navis scopulis allisa naufragatur, circumspice, quomodo amici tui respectu aliorum se gesserint fidos Achates. Num alteri periclitanti dexteram porrexêre? aut è Scribani consilio: Damnum propone Paulo amico, quod jam jam in caput tuum ingruat; aut etiam alterius cujuspiam

piam fidelis operâ id Paulo fac denunciari; his actis; oculis, verbísque intende, ac factis, & si potens opitulari pronus id egerit? amicus est integer; secùs

Niger est, hunc tu Romane caveto.
Horat.

IX. Si quis amicitiæ explorandæ ergô, à te exposcat contra jus ac Numinis honorem quæpiam, non amicum puta, nam prima lex in amicitia sanciatur: *ut neque rogemus res turpes, nec faciamus rogati.* Cui tamen principali legislationi contraivit C. Blossius, Cumanus, qui T. Gracchi in conjuratione socius, cùm ad sibi ignoscendum motivum sequens attulisset, quod Gracchum scilicet tanti fecerit, ut quid quid ille voluisset, sibi faciendum putaret; rogatus ergo à Cælio tunc temporis Consule; etiámne si te in Capitolium faces ferre voluisset? fecisses? ac id ipsum incendisses? respondit ille: *Ohe! non voluisset id quidem Gracchus, sed si tamen voluisset, pa-*

ruiſſem ; videtis ? quàm nefariæ amicitiæ vox ! hucuſque ad verbum ponè Cicero. Inimicus ergo eſt is, ac talis, quia inimica petit, inimica autem petit, qui DEO minimè amica ab amico repoſcit.

X. Et pro regula ſerviat, nè plures amicos diligas, *non enim multis manus eſt injicienda.* Symb. Pyth. unus eſt diligendus nec plures. Si etenim (ùt amicis facere ſuevimus) ſecreta revelamus, pluréſque uno amicos colimus? quos, obſecro, ſecreti (ſi id obtingat) arguemus proditores? Aut ſi duobus intima jungamur affectione, quomodo cum preſſo adverſis triſtari, & proſperis fruenti congaudere opportunè queamus, non ſatis liquet: verbô, amicitia eſto inter duos: ſic reſponſum Dionyſio Syracuſano Pithiæ in amicitiam ac Damoni ſe volenti jungere:

Nemo niſi duo nos, & duo ſufficimus.

XI. Cum amico reconciliato cautiùs age, ollæ fractæ nè fide.

XII. De-

XII. Denique hæc ſumma eſto regularum: ità amicitiam cole, ut *ad aras uſque* amicum præſtes, quod aris inimicum videris, amicitiæ legibus difforme reputa. DEUS enim ſemper amicus eſt maximus, concludit Auguſtinus in Pſal. 121. & Manual. cap. 28. *O! anima mea, dilige eum, à quo tantùm dilecta es, elige illum amicum tuum, præ omnibus amicis tuis, qui cùm omnia ſubtracta fuerint, ſolus tibi fidem ſervabit. Nihil delectabilius DEO, qui te offendat, non eſt DEUS; nihil eô pulchrius, nihil eô dulcius. Amicus DEI, ſi voluero, ecce, jam fio.*

STATIO V.

Regula non Regulata.

Declaratio.

TOt orbis Politicus videt hodie Dictatores, quot penè homines; quisque legis lator esse gestit, at pati leges (quas ipsi tulerint) pauci admodùm; Regulas ferunt singuli, atque ità hunc illúmve vivere oportere præscribunt; at, tu mi Ethice, tot inter aliorum judiciorum regulas vivas irregulariter expedit. Velle namque facere omnibus satis, ponè Chymæra videtur Ethica. Facetiis depromendis insistes cum sanguineo? obstrepet tibi Cholericus, ac Melancholiæ è tripode depromptam obtrectabit gnomen *seria vi-*

ros,

Epigramma V.

Pondere, nec lege, hoc, unquam exteriore trahetur
Ast interna bonum regula prodat opus
Pondus ab externis sensis, nec tu Ethice quære
Dummodo ab interna lege probetur opus.

ros, si votis velifices Cholerici? applaudet hic quidem, explodet sanguineus. Imò tanta humani animi est vicissitudo, ut quod cum sole hodierno probat, crastino improbet; bonam etiam actionem tuam conviciabuntur non rarò boni & mali, si humilem suspexerint? ajunt hypocritam; si amœniùs conversantem? sugillant ùt audacem, ac multùm præsumentem. Liberalem cernent? & damnabunt ùt prodigum. Taciturnum ac modestum notabunt? ac dolosam in pectore vulpem exsibilabunt. Et quid non? probent etiamnum cœli virtutem, ipsa cæca terrigenarum judicia, vitii injicient pallium virtuti, ut probrum æstiment singuli, quod probissimum est. Venit Joannes neque manducans, neque bibens, & dixerunt: *Dæmonium habet.* Venit Filius hominis, manducans & bibens: Et ecce *homo vorax & potator vini audit.* Frustrà proinde actiones tuas regulatas tibi blandieris,

ris, si aliorum sensibus eas conformâris. Quot capita, tot sententiæ, támque dispares leges inaudies, quàm diversos genios natura partita est hominibus. Neque proinde multùm intererit Ethici, quid, quámque diversè ab aliis de eo ejúsque actionibus disceptetur, unum id solùm expendat, non quid dicant, sed quid ab his dici expediat.

Quisquis enim tam dispari cerebro prognatas sequi molitur regulas aliorum, summam incurrit irregularitatem, cùm parendo uni contraeat alteri; quandoquidem ubi Democritus quispiam semper lætandum ac ridendum præcipit, Heraclitus vetat, contrariúmque beatissimè fieri, si semper tristemur ac fleamus, præcipiat. Inter præcipuas Ethici regulata scientia sit propria conscientia, huic, si insistas regulæ, maximum, quod in orbe est, evitabis tormentum, nempe con-

conſcientiam delictorum ; & ipſum felicitatis apicem, internam animi attinges quietem ; nam ùt ùt malum cenſurent alii à te perpetratum, bonâ ſi tamen feciſti conſcientiâ, ex vitio aliàs virtutem effeciſti, tantùm namque valet irregulata conſcientiæ regula, ut contra naturæ ordinem eâ pollens gratiâ, de extremo, quod vitium videtur, virtutem formet, quæ in medio conſiſtit. Siquidem *tanta cujuſcunque ſunt mala, vel bona, quantus animus.* Cicero lib. 2. T. c. O quanta profectò hæc eſt beatitudo ! ſi nocte diéque ſuum geſtare ſub pectore teſtem liceat conſcientiam. Seu plauſus, ſeu nænias tuis occentent geſtis judicia aliena, dementes regulæ : quid prodeſt ? Nero occiſa Matre Agrippina, licèt cohortis armatæ, Senatûs Populíque gratulationibus matricidium facinus confirmari ſuſpiceret, conſcientiæ tamen moleſta obtrectatione adeò ſe fatigari ſenſerat, ut materna ſub ſpecie Juven. Satyr. 15.

par-

parcarum impetu non in frequenti se se exagitari, ac telis ardentibus
Suet. fateretur. Quin & magorum incantatione manes evocare ac exorare tentârit. Cui appositè appinxit suum Pictorius distichon, nempe:

Illud habet damni vitium inter cætera, quòd mens
Palpitet assiduo flagitiosa metu.

Et vel ideò Plato internæ huic mentis rectitudini, & rectæ simul regularum omnium amussi non regulatæ confisus, cùm famæ suæ detrahi intelligeret dixisse fertur: *Sic vivam, ut illis fides non habeatur.* Sive blandiantur actis tuis dulcisonæ Syrenulæ, seu obmurmurent Euri, aut exsibilent Satyri, tu, si sinè aliorum vixeris regula, is eris, qualis ille, *qui non potestate mutatur, non extollitur prosperis, non mergitur tristibus.* Dormit etiam mens conscia recti cùm vitulo marino supra scopulos,

los, dum mare infremit, dum venti mugiunt, ac dum demulcent Zephyrelli. Age ergo, omnibus aliorum regulis noli insistere, sed unam tene conscientiæ propriæ regulam, quæ nullâ limitatur regulâ.

Applicatio.

I. PRiusquam operi des initium, vide, quid conscientiæ ratio præcipiat, & incepto opere obmurmurent licèt alii, reclama intrà te cum Bernardo: *Nec propter te cœpi, nec propter te desinam.* Quorsum Papæ! devolutus Valesius Publius aliorum innixus judiciis, ac ea pro sua recipiens regula! qui domum suam cineribus dicavit, eò, quòd nimìs amplam ac vastam admodùm cavillarentur alii.

II. Ad hominum judicia ceu ad Syrenum cantus Ulysses obdurata aure agito; neque multùm eorundem censuras animô revolve. Quot

UNIVERSITY OF ILLINOIS LIBRARY

ohe

ohe! nimiùm regi aliorum ſenſu volentes, dementiæ ſacravit extremæ inutilis ſollicitudo, luculentum hujus rei teſtimoniũ dedit ſtultorũ ille: qui cùm Sabellicũ fortè in forũ propellens à duobus obviis rideretur momis, quaſi verò, canem ſuis locô in forum propelleret diſſolutè clamitantibus! contrà nitebatur is, & reclamabat ſuem ſe venum agere, & reclamabant deriſores perpetim, canem agi in forum, oculísque videri coram ſe propriis; donec tandem eò depuliſſent dementiæ, judiciis aliorum nimìs ſe ſe conformantem, ut omninò perſuaſus, imò, & rubore ſuffuſus edixerit: Parcite! profectò porcum credebam, quem canem judiciô veſtrô nunc clarè perſpicio, nam in ore plurium ſtat veritas. Dixit & porcum abegit, & hoc perditô ſeipſum nimiſquàm perdidit, nec omnes domi habuit, qui ſuam ſtultitiam ſuis locô in foro publico venum expoſuit.

III. Quòd

III. Quòd ſi etiam cavillentur actiones tuas alii, à probè cœptis nè deſiſte, ſed inſiſte porrò, ac perſuaſum habe, ea acta optimè fieri, quæ invidos habent obtrectatores, virtus namque nullos habet hoſtes magìs, quàm virtutis oſores. Et invidia non malum, ſed bonum proſequitur. Utì enim malô alienô gaudet, ità bonô triſtatur. Qui verò æmulis caret, plerumque via gregaria gradi cenſetur.

IV. Si Zoilos tua perversè carpentes acta notes, penſa illos canes eſſe ejuſmodi, qui latratu ſuo neglectô miniméque curatô, ac ſilentio præteritô, ſenſim obmuteſcunt.

V. Denique inſuper fructum ex alienis loquelis collige, ſi bona dicunt, ſtude bonus fias, ut vita dictis eorum reſpondeat, juxta Oratoris Numeriani documentum: *Eſto, quod audis;* ſi mala dicunt, *devita ea,* ut hæc

hæc obtrectatio linguæ carpentis, tuæ sit conscientiæ purgatio, juxta tritum illud adagium : *Mala lingua bonæ scopæ.* Denique cum Philippo Macedone conclude : *Gratiam habeo Athenienſibus, quòd ſuis convitiis me meliorem reddant.* Neque tamen ideò malum te puta, quia id alii prædicant : ſed qualem te ipſum prudenter judicas, talis eſſe perge, nisì prudentem errorem comperias tuæ actionis.

STA-

Epigramma VI.

Pharmaco-cephta juvat, si miscet dulcia amaris
Et media, haud durus, fræna reposcit equus.
Sola nocet bonitas, feritas quæ, admixta juvabit,
Qui semper parcit Parca, feritve fera est.

STATIO VI.

Manſuetudo iracunda.

Declaratio.

AGgnum ſociare leoni, Tygridem lybicam ovi, vulturem columbæ counire me velle, ſubſannabis viatorem Ethicum, cùm manſuetudinem iræ jungi debere præſenti accipies documento. Verùm, ea eſt artis Ethicæ dexteritas, ut & feram iracundiæ tygridem doceat miteſcere in ovem, & leo induens comitatem, agno comitatum præſtare aſſueſcat fideliſſimum, eáque tandem ex diſcordi cordium diſſidentium ad ſpeciem conſurgat concordia, quæ ceu dulciſona Orphei lyra ſaxeis hominum animis moderetur; ubi enim agni non perrumpit comitas, leonis perſtringit

git bile urgente animositas, dicere volo: ubi manſuetudo viribus non pollet tantis, ut non rectè agentes à cœpto cohibeat, ibi zelus huic ſociatus robur addet, ut ad bene operandum urgeat. Mera mella tandem diſſipiunt, ac dulcia ſemper bellaria imbellem reddunt; diſſipit etiam tandem ſaccharô nimiùm reſperſa offula, ſi non interdum acorem ſapiant intermixta fercula; ità ſola manſuetudo, non tam nutrit animum, quàm deſtruit, ſi ſale aut acore juſtæ iracundiæ non temperetur; *Neque cum Stoicis ſentiendum defectum omnis iræ eſſe virtuoſum;* alioquin ſtolidorum genus hominum, ac inſenſibilium eſſet virtute præeminentiſſimum, queîs ſi etiam Elephanti naſos prætervolent, aut ſi eos ſannis ac cavillis laceſſas propudioſiſſimis, blandè tamen arridentes temet ſemper ſuſpicies, quantũ ſi eos, ceu ganymides Deorũ laudares albicantes. Quibus, inquam, tam bona quàm mala proban-

bantur. Sola ergo Ethici manſuetudo continua, procul ſemper bile ac iracundiâ temperatâ exulante, non virtus, ſed vitium virtutis indutum perſonam reputa; irâ quadam tibi opus eſt, quia non rarò fortitudine, cujus ira cos, ac timoris excutiendi dote, opus eſt Ethico, cujus ſtimulus, iracundia eſt temperata. Unum tamen alteri præſtet temperamentum, ex quo demùm politica & vera conſurgat manſuetudo. Pollebat Tullius manſuetudine eximia, ſed nisì iracundiâ eam condiviſſet, nec in Verres nec in Catilinam damnandos invehi potuiſſet. Admirabili Philoſophus enituit comitate, ſed nisì irâ mixtam adamâſſet, tam acriter & pro rei exigentia fervidè in peripato non decertâſſet. Æqua ergo ac par ferè utramque inter paſſionem eſt habenda attemperatio, ut ceu ſtimulo ab iracundia injecto comitas induit animoſitatem, ità & frœnô à manſuetudine injecto oportet

cohiberi iracundiam, nè in id per excessum incurrat, in quod mansuetudo destituta iræ stimulô per defectum impegisset. Undè Archidamedes, cuidam Catilaum Regem laudanti, quòd is erga omnes mitis esset, atque mansuetus, reposuit: *Obsecro! qua fronte laudatur is, qui erga sceleratos se mitem præbebat?* Censuit nimirum sapienter mansuetudinem iræ couniri oportere. Nè fortè nimia moderatoris comitas summa sit in subjectos crudelitas, ùt annotavit Plutarchus; æquè etenim crudelis censetur, qui nulli, quàm qui omnibus ignoscit. Appositè ad rem nostram Bauhusius acclamat:

in lib. Epig. *Sub quo nîl licet, præceptor malus est; Ità sub quo cuncta licent, præceptor pessimus est.*

Ut tamẽ ad gustum Ethici sit lenitas ac mansuetudo, plùs mellis habeat, quàm acoris, aut amaroris iracundiæ:

diæ: ſiquidē ira facilè in exceſſum deviat, cùm natura ipſa in extrema facilis, ad ſumma pervenit, & exulare cogit prudentiam, ùt ſcribanus ait: *Ira* (nempe illa, quæ vitium eſt) *& prudentia neſciunt ſimul ſtabulare*; quia prudentia vult moderationem, & maturitatem, ira verò temeritatem & fatuitatem. Calori ergo frigidam affundat Ethicus, & ſuaviter fortiter tranſigat omnia, quò manſuetè iracundus ac iracundè manſuetus geſtiat prædicari.

Scriban. in Chriſt. Pol. c. 10.

Applicatio.

I. UT ad bene agendum urgeas alios, urge temetipſum ad fortiter inſtandum ac increpandum, ſi ità tepor agentis exigat.

II. Multa diſſimula, etiamſi te cavillis peti notâris. Utùt enim in te cavillas vibrari notaturus ſis, ſi tamen de nomine non petaris ſannis ejuſmodi; manſuetè in id ipſum

factum, quod proscinditur invehere, téque id ipsum latere finge; si verò non dissimulato nomine factum à te aliquod præfervidè quis exagerat; impetum ità excipe: quasi is solùm iram fingeret, facetáque interim inspergequæpiam, minimè tamen læsiva aut explosiva iræ alterius; ac detumescente postea fervore suaviter ac fortiter exhibe, futili illum exarsisse de causa, miniméque id decuisse.

III. Si suspicax quispiam, tuorum malefactorum tamen non usquequaque conscius, coram aliis meminerit, ea asperè insectando ac exagitando, iram preme! mansuetudinem indue; secùs si egeris, tuâ culpâ manifestaberis. *Nam canis ictus clamitat.*

IV. Affabilitas soror est mansuetudinis, hanc colere adlabora. Pyrrhus Rex Epirotarum adeò affabilitate claruit, ut Romani hostes ejus acerrimi, legatos ad eum mittere sint veriti, eò, *quòd omnes, qui mit-*

te-

tebantur magis Pyrrho, quàm Romanæ Reipublicæ affici viderentur. Insuper commodi id sortitur affabilis in omnes animus; ut & arrogantes, aliorum cætera impatientes jugi, talibus subesse ament, quos amabiles verbô, & opere compererint, cùm se non coactos, ceu servos, sed rogatos quasi Dominos reputent obedire. Id enim gratiæ ingenitum est mansuetis, ut & sua imperia non imperando, verùm impetrando, non gravatè à subjectis cujusque complexionis videantur urgere observari.

V. Si verò quandoque obtingeret mansuetam iracundiam in sinistrum impetûs iracundi devolvi extremum, bilémque moveri concitatiùs; unam cave sis præcipitantiam! delata crimina nè plecte illicò, cùm nec omnia confestim credenda. Quare ad rationis trutinam libranda res est, nè quod præcipites, immansueti egimus, protinùs

doleamus ferò factum, cùm infectum fieri nequeat. Pulchrè ad propositum Seneca Lib. 10. de ira cap. 29. *Quæ narrata sunt, non debemus citò credere, multi enim mentiuntur, ut decipiant, & multi mentiuntur, quia decepti sunt.*

VI. Inconcussa proinde lex esto mansuetudinis, & princeps iræ præcipitis remedium, dilatio correctionis ac injecta remora, donec, ùt loquitur Simplicius, *canis tuus internus latrare desinat.* Alexander irâ commotus, alphabetum priùs recitare suevit, demùm ad ferendum pro delictis judicium procedere. Ab hac minimè abludit illud Carilli dictum sapiens, de quo Plutarchus; hic audaculum non neminem cum Heleto asperè & injuriosè se gerentem, ità allocutus est: *Per Deos te interfeciſſem, nisi iratus eſſem*; ac si dicere averet, non tibi, at mihi parco; nè id temerè iratus perficiam, quod justè mansuefactus plectendum relinquo.

VII. Si

VII. Si dominiô potiris quopiam, aut Patris familias munere gaudeas, verum tamen præcipiti iræ m[illegible]ageris, hos, quos circà te versari necesse erit, mites atque columbinos esse oportet. Ità námque non fervebit ignis, si aquæ injiciatur; nec perfringet glans plumbea, si mollia pro centro compererit. At verò silex allisus silici flammas dabit. Conformiter ad illud aliàs Italorum adagium: *Cum duro durum nunquam faciet bonum murum.*

Concludo stationem non inele- P. Pe-
ganti apologo, fortè *Zephyrus* & xenfel-
Boreas certamen inter se inière, cui der in
majores vires suppeterent, huic, an Ethic.
illi? placuit in viatore quopiam sy[illegible]
mere experimentum, ità: ut qui
prior flatu suo vestes auferret stadiodromo, is demùm robore prævalere censeretur; initium fecit *Boreas*, dum meras efflare hyemes, horrendum furere, & omni flatuum conatu id agere cœpisset, ut viatoris

ca-

capiti pileum, aut lateri affixum pallium abriperet; ſed irrito conatu; nam ùt primùm viator venti hujus turbulenti ſenſit impetum, pro viribus ſuis obnititur, ac pileum capiti, pallium verò humeris fortiùs molitur imprimere, nè à vento abripi valeat, atque ità incaſſum agente *Borea* utrumque ſervat. *Zephyrus* oppoſito victoriam legendi ſtratagemate, molliſſimè aſpirare viatorem, tepente aura demulcere, dulci blandiri ſibilô, placidô caput flabellô orditur delinire. Ex quo calore ſolis ac itineris æſtu viatori arere fauces, languere humeri, ſudor per artus defluere occipiunt; ventilatur ſtrophiolô vertex, pileus deponitur, ſolvitur ſinus, rejicitur pallium, ac feſſus ſtadiodromus ſubter opacam ſterni arborem, ac excipere rejecto amictu blandi flabra *Zephyrelli* proſequitur. Atque ità ſuavi ſua aſpiratione victor *Zephyrus* ſpontè rejectum viatoris pileum obtinuit, ac pallium; quæ

Bo-

Boreas tanto impetu nequibat abripere; pulchro documento: plùs manſuetudine, quàm iracundiæ turbine effici poſſe. Conſimilis eſt nempè *Ocyno* herbæ manſuetudo. Si ſvaviter contingas odorem, ſpirat plùs quàm hyblæum; ſi duriùs atteras, graviolet. Ità equidem multorum animus manſuetè correctionis virgâ contactus virtutum odorem ſpirabit, acerbiùs verò ac præcipiti correptus methodo in deterius prolabetur.

STA-

STATIO VII.

Urbanitas inurbana.

Declaratio.

NUlla rectiùs, quàm tempori nostro illam adsculpseris Epigraphen, *honos onus*; eousque enim jam ea rerum ætate honoris exhibendi ac urbanitatis suetæ insolescunt officia, ut honorato non immeritò accidant onerosa, & vel ideò reputentur inurbana; adeò etenim frequenti jam recoquuntur iteratione, ut vix ullus labatur *Dominicus*, quô non inurbanus assentator onerosô precandi fascinô, fortunatum decurrere *Solis diem* advoveat; vix *Lunæ* dies affulget, quô non fortunatæ *lunationis* exoptet decursum; vix *Martis* aspirat, aut *Jovis*; tum ter faustos *Joves*, diésque ut vi-

VII

Epigramma

Tot vertumne oras (quot ventis nomina) adoras
Est tamen hic nimiùm Sæpe dolosus honor.
Plena dolis multorum inculta Politica sordet
Quæ nimiùm urbana est, exsit a burbe fides.

vivat Joviales comprecabitur nimis humanus Politicus, Die *Veneris* se bene venisse ad ad vovenda omnia blanda, suavia, delicioſa occlamat; nec *Sabbato* quietem favet; tota denique hebdomade titulum non pauci nanciſcuntur urbanitatis, ac officiorum humanitatis expromendorum haud urbani Blaterones; continuas celebrantes Dominicas: *Cantate Domino;* quin & annos breves reputant, quo continuæ incurſioni ac honorationi Mecœnatum tempus breve queruntur. Et indè evenit, ut ſi Natales, ſi lux onomaſtica, ſi feſtorum revolutiones illuceſcant, non jam ſincera votorum depromantur homagia, verùm phaleris verborum ornatæ periodi, ceu jugales plauſtra advehant laudum ac titulorum, cùm totæ decurruntur Panegyres; certè non perſonæ, cui hæc acclamantur ornamenta, ſed tormenta. Præterquàm quòd & candore, ac amoris igne vacua eſſe reputetur, quæ laudum congerie ex-

Trivenius. exundat gratulatio. *Ceu ligna, quæ plurimum fumi exigunt, minimum caloris exhibent.*

Ut ùt quidem modeſtam ſuadæ gratiam minimè velim improbandam, quâ grata, ceu teſtes animi venerantis depromantur officia, laudum tamen aſſentatrices Panegyres in faciem non infrequenti repetitione aggeſtas non cenſeo approbandas. Viro namque gravi ac virtutis amanti, par convitii genus eſt: ſeu contumeliâ, ſeu laudum nimiarum in præſentiarum recenſitarum rememoratione erubeſcat. Si enim virtutis abſolutæ virum prædicâſti; modeſtiæ tamen expertem probas, qui adeò perfricta fronte laudes ſuas audiat de ſe occentari. Si verò laudes effinxiſti aſſentator es illorum de ſyllabo: *Qui ipſa vitia pro virtutibus interpretabuntur.*

Tacit. in Epiſ. l. 1. c. 52.

Multos tamẽ me hercle: *peſſimum inimicorum genus laudantes*, alit ortis hodie politicus, qui omnia facta aliorum in faciem probant virtute

Tacit. in Agricol.

pol-

pollentia, súntque ſub principium laudatores, ſed fucatis ſuis nimiúmque urbanis homagiis ac officiis ſub epilogum pro domo ſua ſunt oratores. Ceu vulpecula illa corvi albicantes deſcribens pennulas, vocémque cumprimìs aëdoni ſupparem ac ſylveſtri luſciniæ; illud intendens: ut in cantum moveret corvum, ejúſque ab ore offam cadentem ità ſibi venaretur, quod & corvus laude victus commentitia vocis ſuæ intenſurus folliculos dum agit, offâ ſuâ ſpoliatur. Profectò, inquam, hos habet mundus vulpeculis non diſpares genios, quibus laus & fraus idem eſt, dum ultimum ab ore bolum laudando abſtrahunt inurbanè non tam laudatores, quam fraudatores.

Talium ultra modum urbanorum quempiam titulorum prædicatorem ac laudatorem infrunitum coërcuit ſaporis in Perſico Regno ſucceſſor, ajens: *Tu me titulis tuis, nec majorem, nec minorem facis, dic am-*

ammodò, cujus gratiâ acceſſeris. Adeò nempe: ſæpè nimius honor eſt oneroſus, & urbanitas nimia inurbanitati connuba. Nolim quidem ego hìc ad literam Solonis libres gnomen: *Neminem in vita lauda*; neque illud Diviniſſimi morum Magiſtri Theandrici monitum: *Neminem per viam ſalutaveritis.* Verùm nimiùm nè lauda; nimiùm nè ſaluta; nimia namque laudatio, eſt doloſa laudati fraudatio, nimia hoſpitalitas inhoſpita, nimia urbanitas oppidò inurbana.

Applicatio.

I. UT diſcretam teneat urbanitatem Ethicus, temporis conſuetudinem obſervet primitùs, utì enim tempora, irà mores cum hominibus variari clarum eſt, indè & titulorum augmenta ætatis noſtræ more negligere probrum eſt, quod olim ironica fuiſſet Hyperboles; ridiculumque ſuggillarent ſinguli

ſtilpo-

ſtilponem de ſtiva oriundum, ſi is majorem ſuum ſecunda perſona appellaret, quod tamen olim ſcimus fuiſſe receptiſſimum.

II. Pari animadverſione opus habet locorum diverſitas, diſparatiſſima enim externæ converſationis eſt uſitatio inter Regna ac Provincias. Indè dextram præbere honoratiori Germani ſuevêre, Turcæ è contra haud moratam damnanarent ruditatem, ſi ſiniſtram tibi, dextram faveres digniori. Hic dextrorſum flexo pectore, venerandi alterum viget methodus, illic in lævam ſubmiſſo latere aut cervice mirum in modum detorta, hinc pede per humum in ſemi-ſphœram gyrato, illinc manu in lunam acta, ac labiis admota fiunt ſalutationes; undè ſi omnium exercitium aſſumeret Politicus, ô! quis non vertumnus animatus! quis non Palumbes in gyros actus videretur, nimiúmque exſibilaretur humanus? quare hæc tanti non ſunt fa-

cienda, nisì in Patria ejusmodi sumas incolatum, conformiter documento huic:

Si fueris Romæ, Romano vivito more,
Si fueris alibi, vivito sicut ibi.

Cæterùm si expeditionis causâ terras percurris alias, morem servare nîl vetat patrium, nisì is fortè nimiùm quantum terris esset invisus alienis.

III. Cùm honoratiorem convenire obtigerit, salutabis eum verbis amœnis, succinctis, fronte haud torva, voce submissa tantisper, nec deproperâ, paulisper corpore inclinato. Sin, vixdum conclavis subingrediens limina prosas ordiaris, & intones; pedum gyris mediô discurras in cubili, ut ponè angustum tibi videatur, tum enim verò nimìs humanum dignè prædicari Politicum, nec minùs jucundum, quàm lepidum in sensu etiam adverso dicier experiêre. Præterquam quòd suspectam suam reddit con-

converſationem, qui ultrà modum urbanus eſt Ethicus.

IV. Nè urgeas nimiùm digniores te, ad quædam omittenda, quæ tui causâ honorandi facta haud ſcis. Ità equidem urgere hunc ad conſidendum, ad tegendum caput (qui & te abſente ſtetiſſet retectus) periculoſum æquè ac inurbanum reris.

V. Si homagium cuicui depoſiturus magnum fœnus unà, aut donum adferre nequiveris, majori hunc dona titulorum ornamentô; quod Suevis eſſe uſitatum perhibetur: *Eos* videlicet *parum pecuniæ, ſed magnos honores tribuere.* Quod idem actitare non officit huic Domino, qui magnis ſtipendiis miniſtros ditare non valuerit, ditet majoribus honorum titulis.

VI. Illud extremâ ſapit urbanitatem, ſi ad omnia ſive tibi, ſive tuæ valetudini noxia, imò fortè, & non

rarò animo, promptiſſimum, paratiſſimum te profiteris, ac venditas ſervulum. De qua regula plura cogita, quàm ſcripſerim ego.

VII. Poſtremò ubi te ab extrema dehortatum officioſitate notaveris, nolim alterum in extremum declines. Medio tutiſſimus vela pandes, atque ſive ab adſibilatione, ſeu exſibilatione liber proveheris Syrenum, ſi in medio remedium ceperis, quæ univerſalis in omnibus Ethici regula eſt. Si namque vice verſa ſalutare, laudare, honorare neminem; illota facie, crine parcarum diſtributo pectine, unguibus vomeri non abſimilibus, veſtitu incompoſito converſari aliis affectares? ſi manus hiſtrionica ventilatione motitare, ſi cachinnis aërem in fragorem concutere perrexeris, ſi graveolente halitu faciem afflare alienam, ac denique ſi præ ſinceritate, Æſopici inſtar aſelli, humeros inſilire aliorum, trudere, vellicare, at-

attentâris ; ô quale tum Ethica noſtra monſtrum orbi eſſet paritura ! ad Parcarum Synedrion Rhadamanti ſententiâ relegandum.

VIII. Familiariùs te Superiorem nonnunquam affari cùm experiris, nè familiariter nimiùm eundem illico reſaluta. Inter grandis etenim notas inurbanitatis eſt mox à primordio converſationis fraternitatem cum æquali inire ; Superiori verò familiari planè fors ſarcaſmô illudere omnino hiſpidiſſimum & indolatum eſt.

STATIO VIII.

Prospera Adversitas.

Declaratio.

NEmo miser; nisi qui sibi immisericors, ea solùm bona reputat, quæ vulgus beata æstimat; Absona videntur ægrotis obsonia, fellei non rarò gustûs pharmaca, quæ tamen morituro vita sunt; ità adversitas omnis, si initium spectes, ingrata, si terminum operiris, & sustines, gratiosa charis adamatur.

Seneca de Prov. c. 4. *Paulatim namque voluptati sunt, quæ necessitate cœperunt.* Fortasse à multis cum Belizario obolus desideratur, quem fortuna in altum evexit, invidia, ah! nimium adversa, etiam viro forti, oculis orbavit? & ùt pergit antè dictus sapiens Quirinus, for-

Epigramma VIII.

Ut niteat ferrum limis, Aurum igne probatq;
Perficiunt duris præla falerna modis
Sic quandoq; bonum ut faciat, fortuna laceſsit;
Et DEUS adversis, hac probat arte probos

forsitan non nullis *vilis hic quærendus manu victus*, fortè sustinenda *horrenda iniquitas cœli*, fortè eousque adversa premunt, *ut intecta corpora* circumferas! at macte animo Ethice Christiane accludit Seneca: *Hoc, quod tibi calamitas videtur, tot gentium vita est.* Si quidem hoc est propositum DEO sapienti viro ostendere, illa *bona esse*, quæ *non nisi bonis viris tribuerit, & mala esse, quæ malis tantùm irrogaverit.* Idem cap. Esto proindè asperis ac adversis premaris plurimis, prosperrima reputa, quia bona; Paterni cordis numen est. Matres fovere sinu lactis mulcere ambrosiâ, unicam etiam muscam repellere satagunt, nec liberos adversâ etiamnum aurâ afflari contendunt. At Patres studiis artibus laboribúsque destinant, ad sudorem non rarò lachrymásque concitantes. Ità nempe castigat numen paternum amatum filium. Quid prosperiùs amore tanti Patris? quibus verò indulget! non rarò, venturis

malis reſervat. Nunquam Cynthia cum rutilis Firmamenti faculis nitet pulchriùs, quàm cùm nocte noverca prognatis opprimi putatur cimmeriis. Roſa quoque ſpinarum undique aſperrimis conſepta adverſariis olentior eſt. Ità quoque Ethici virtus, à tenebris clarior, ab adverſis ſpinarum aculeis florentior & felicior eſt: tametſi enim grave ſit ferre adverſa onera, verùm ſpes roborat animum:

Ovid. *Nam leve fit, quod bene fertur onus.*

Ac ſaltem

Seneca *Meminiſſe dulce eſt, quod fuit durum pati.*

Ut proinde infractum fortémque animum inter mundi ſerves viciſſitudines, æqua mente ferenda ſunt ea, quæ mala non eſſent, nisì malè ferenti. *Nihil* enim (inquit Demetrius apud Senecam) *mihi videtur infelicùs eô, cui nihil unquam evenit adverſi;* ille è contra proſperrimus videtur Athleta, qui fortunam (quæ omnes devincere, ſi proſpera, de-

dejicere ac ſternere, ſi adverſa fuerit) potuit glorioſiſſimè unus ipſe devincere. Generoſas mentes, non terrent conflictus, non concutiunt adverſæ cum hoſtibus colluctationes; Et cum inimica fortuna congredi verebitur Chriſtianus Heros? proſperrimam ſibi arridere fortunam autumat Martius Heros quiſpiam, cùm in periculoſas emittitur excubias, cùm iter explorare, præſidium locô dejicere jubetur, ùtùt namque adverſa plurima ſibi in caput detorqueri videat, vulnera, pericula, mortem ipſam oppetendo felicem ſe reputat, quia fortitudinis comprobatur eximiæ Agonotheta, non enim meticuloſos lepores, non ignava arcadicæ gentis pecora, ſed leones ſed elephantos in talia expediri probè novit æquus talium æſtimator, quod pulchrè confirmat Seneca quærens: *Quare in caſtris quoque periculoſa fortiſſimis imperantur? Dux lectiſſimos mittit, qui nocturnis hoſtes aggrediantur inſidiis, aut explorent* Seneca de Provident. c. 2.

rent iter, aut præsidium loco dejiciant. Nemo eorum, qui exeunt, dicit: Malè de me Imperator meruit: sed bene judicavit. Fortiorem ità & te dignioremque animi excellentiâ reputat Numen, si adversis premat, dúmque ignavas mentes mollibus sinit tepescere, infelices sensim natura sentit putrescere. Neque hos unquam prosperos eventus habuisse orbis agnoverat, quos domesticis contectos nidis, saginatósque affatim sibi ipsi oneri potiùs esse approbavit. Prosperitas itaque summa est adversis vexari, premitur enim, non opprimitur, mille icitur vulneribus, non vincitur. Percutitur! non ex animi magnitudine excutitur; impugnatur! non expugnatur vir fortis. An non igitur huic prospera adversitas, quæ penè dignum DEO facit spectaculum? ùt acclamat idem Seneca:

Ecce spectaculum dignum, ad quod respiciat DEUS. - - Non video, quid

quid habeat Jupiter in terris pulchriùs, - - quàm ut ſpectet catonem, jam partibus non ſemel fractis, ſtantem nihilominus inter ruinas publicas rectum. - - Idem ergo & dicant, quicunque jubentur pati timidis ignaviſque flebilia; digni viſi ſumus DEO, in quibus experiretur, quantum natura humana poſſet pati. Idem c. 2.

Applicatio.

I. INgruente adverſitatis tempore ſuæ theatrum recludi fortitudini recogitet Ethicus, quo omnium oculis obſervetur glorioſa ejus colluctatio, ceu enim fragor repentinus aliorum oculos excitat, ità ſiniſter fortis viri caſus animos in ſe aliorum convertit. Tunc proſpera Laureola fortitudinis capeſſitur, cùm inter adverſa erecta mente confidetur.

II. Proſperam ſibi putat adverſita-

tatem is; qui aliorum longè adverſiores caſus ruminat; exhibuêre id quondam non abs lepôre lepores, qui in unum coacti ſui ipſorum vitam deplorabant, periculis obnoxiam irremiſſis, timoris plenam; ſe enim ab hominibus, canibus, & aquilis, aliiſque multis inſectari conſumíque querebantur: meliùs itaque mori oportere, quàm toto vitæ curſu tantis adverſis agitari. Hoc igitur confirmatô impetum ſimul fecêre in paludem, quaſi in eandem illapſuri ac præfocandi undis. Sed cùm ranæ, quæ circum paludem ſedebant, cursûs leporini ſtrepitu percitæ illicò in eam priùs inſiliiſſent ſingulæ; ſagacior è leporibus unuſquidam; Siſtite fratres, inquit; gratô animô veſtram continuam ferte miſeriam, ac timores, cùm, ùt videtis, nobis ipſis alia animalia ſint timidiora, & ex hoc miſeriora. Ità nempe adverſitatibus preſſe, aliorum penſa miſerias, nam eſt:

Solamen miſeris ſocios habuiſſe dolorum.

III. Ut

III. Ut prosperа tibi fluat adversitas, habitum patiendi acquirere nitere, omne etenim sub exordium terrificum, ac horridum, usu frequenti fit utile & appetibile. Cùm primùm visa est camelus, homines perterriti, & magnitudinem admirati fugiebant. Frequenti verò visu tantùm abfuit, ut timeretur, quin potiùs accederetur; intellectóque haud bilem inesse Belluæ putatæ, eò contemptûs iêre homines, ut & frœna ei imponerent, & sibi solatiosè & prosperè utilem facerent. En tibi normam Ethice! quæ exordiô tibi horrifica, morâ interjectâ per exercitium frequens fient utilia, ac suavia. Et adversitas, quæ elephas aut camelus putabatur, ùt bellua intolerabilis, fiet ex elephante musca, & barda bellua mitis columbula.

IV. Si adversâ nequis vincere, sustine fortiter, prosperior enim eris, si adversarios fatigaveris, quàm ab his fatigeris.

V. Æquali vultu animóque fer pro-

proſpera & adverſa, quaſi vultu ipſo probares adverſitatem tibi proſperitatem eſſe, quæ eundem temet invenit, nec facit alienum.

Franciſcus Valeſius Galliæ Rex, à Carolo V. ad Ticinium captus annô M. D. XXV. in Hiſpaniáſque delatus, Eum ſe Madriti, quem Pariſiis geſſit; & palmas ereptas infractô animô vultúque æquali tulit; ità nempe, ut proſperè tibi etiam adverſa decurrant, nec magnis efferri, ſi major eſſe cupis, nec adverſis frangi, ſi fortis eſſe amas, te oportet.

VI. Eventus infelices, ſoli fortunæ aut DEI diſponentis ordinationi adſcribe, & ità non contriſtabit te id, cujus te cauſam eſſe negas.

VII. In adverſis ſpera proſpera; utì navarchus in turbido mari malaciam operitur, rotæ inſiſtit fortuna, quæ jacet hodie, erecta ſtabit cras.

VIII. Si

VIII. Si ſpes boni præciſa eſt in tempore, æternitatis bonô te ſolare. Cui, obſecro, aſpera ſunt viarum incommoda, qui terminum melle lactéque manantem operitur. Solô deſideriô proſpera fiunt omnia.

IX. Poſtremò, ut proſpera decurrat adverſitas, qualem erga aliorum caſus ſiniſtros eſſe te noveris, talem tuorum reſpectu te gere. Ut enim fatis cedente proximi conſorte, aut prole; ais: *Id humanum eſſe*, homines fuiſſe, nihil humanum ab illis alienum poſſe expectari. Ità tuis laribus functa chara conjuge, liberis, æquô animô fer, dícque *humanum id eſſe, ità fieri conſuêſſe*. Nihil proinde torquere debet, quod fieri, etſi nolles, debuit.

SI A-

STATIO IX.

Infelix Felicitas.

Declaratio.

QUantò remotior nomine, tantò proximior omine infelicitati est mundana felicitas, sublimibus ornat honoribus, ad excelsa levat munera hodie, & cras per sortis ludibrium vertigine tactos, in præceps ruere sinit immisericorditer; utì enim præcipitia vertigini sunt proxima, ità præcipites honorum gradus; super hos licèt sole pulchriùs mundana tibi rutilet prosperitas; nè crede! lux nimia hebetat aciem, miseros excœcat inspectores. Omnia nempe felicitati putatæ mundi hujus arma, minantur & ruinam; quid hac itaque infeli-

Epigramma IX

Immersos inopes, inopes sua copia fecit
Nam qui plura petit, pluribus ipsus eget.
Ceu asinus felix aliis obsonia gestat
Cùm miserum sterilis gramine pascat humi
Quid juvat immersos opibus, vel Gangis arenis
Credite! non vobis fertis aratra boves.

feliciùs ? Cedris Libani minantur fulmina ; dum contrà myrica tenuis ſui ſecura ſtat intrepida. Squallent, favore ùtùt cœli altiſſima ferè culmina, intonſis rupibus cœlo æmula, dum valles pluviis fœcundantur & frugibus. Ità felices mundi, dum unum illud magnitudinis abundans cenſent prognoſticum, ſi cætera omnia altiore poſſint deſpicere ſuperciliô, ſi valetudine florere integra, ſi opibus turgere valeant maximis ; falluntur ùt plurimùm, errant cœlô integrô : quandoquidem *nihil infelicius eô, cui nihil unquam evenit adverſi.* teſte Demetrio. Senſit id, imò, & expertus docuit purpuratus Corinthi puerorum Magiſter Dionyſius, nuper Siculorum Monarcha, qui quoties ferulam pro ſceptro manu regebat, toties felices deplorabat ; *Quàm beati,* inquiens, *ſunt, qui à puero infelices ſunt !* ſola namque & ſumma Ethici felicitas eſt, non egere felicitate ! certè bonum tunc ha- Ælian. Var. Hiſt. 14.

bebis tuum & maximum mi Politi-
Seneca Epist. ult. ce; *cùm intelliges infelicissimos esse felices.* Quid enim? fortasse in honoribus felicitatem nundinaberis? verùm, quàm infelix conditio vitam sibi ipsi honori esse non posse, nisi extrinsecis & adventitiis dignitatum phaleris exornetur. Fortè felicem vitæ decursum à patriæ flore mercaberis? aut sanguine nobiliori? verùm quàm tenuis sit felicitas, solô locô fortunatum se reputare, ostendit Attico Anacharses; cui cùm Atticus, quòd scytha esset, obtrectaret, séque patriæ felicitate efferret ùt plurimùm; repostuit Anacharses: *Mihi quidem probro est patria, sed tu patriæ probro es.* Neque proinde patria felicem facit, sed felix fit, si viros dignos nanciscitur. Jactare verò Prosapiam, Majorum merita, sanguinis nobilis felicitatem, quid aliud est? quàm infelicitatis recoquere monumenta, fumósque excitare evanidos pridem crisi Juvenalis explosos. Cerne nam-

namque felicitatis troſſulos Nobilitatis primæ ſurculos:

- *Curios jam dimidios, humeróque minorem* Satyra 8.
Corvinum, & Galbam auriculis, naſóque carentem
Plenáque Majorum fumoſis atria ceris.

Grandis nempe felicitas!

- *Genus & Proavos, & quæ non fecimus ipſi. Ea noſtra buccinare!* Ovid. 13. Metamorphoſ.

Poſtremùm at Achillem pro felicitate mundi moturi, auri argentíque ſitientes Midæ fortaſsè conſurgent, turgeréque obryſi glebis æraria, proſperrimum jactitabunt, ſed, ô! inopẽ te ab opibus Evclyonem. Eáne ſit felicitatis meta? torqueri auratis torquibus, ſemper inopem prædicari; quandoquidem *ſemper inops, quicunque cupit.* Siti torreri irremiſſa divitiarum, quæ felicitas? nam:

Quò plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.
Et *avaro tam deeſt, quod habet, quàm quod non habet.*

Indè dies curis anxios, noctes insomnes transigit Evclyonum vigilantia, omnia tuta timent, continuò excarnificantur domestico carnifice timore, nè amittant, & cura exedente opprimuntur, ut acquirant opum pluralitatem. Quæ hæc, Ethice, felicitas? estò possint esse ditiores, non tamen dies trahent jucundiores, atque feliciores. *Crescet amor nummi, quantum ipsa pecunia crescet*, & cum amore cura increbescet inquies; ubi interim felicissimus

Cantabit vacuus coram latrone viator.
Et ineſt paupertati, sinè qua nihil jucundum, ſecuritas, atque felicitas.

O! felices scilicet Midas, qui cùm omnia in aurum periculosâ semper chymiâ nituntur convertere, præ fame sæpè numero stultissimi rerum appetitores coguntur interire. O! felices Altiati Asellos, qui cùm pretiosissimarum rerum imò & obsoniorum exquisitorum dor-

dorſum ſuum gravari ſentiunt portoriô, ipſi tamen gramine paſcuntur agreſti. Et vel ideò his non incongruam appinxit epigraphen: Idem in Emblem.

Cûi ſimilem dicas, inopem quem copia fecit!
Nónne aſino? ſic eſt: inſtar hic ejus habet.
Namque aſinus dorſo pretioſa obſonia geſtat,
Séque rubo aut crudo gramine pauper alit.

Quid proinde felicitatis mundanæ moliuntur aucupes? illi profectò ſinguli Solonis ſapientiſſimo ſubſcribere edicto coguntur: *Neminem eſſe ante cineres felicem*, nisì infelicem; cùm *infeliciſſimos eſſe felices* pridem edixerit antè dictus ſapiens. Plutarch in vita Solon. Seneca Epiſt. ult.

Applicatio.

I. ARridente felicitate, nè nimiô ſolatiô exundare ſinas animum, ſed cogita jam tunc, qua

mente dimittenda sit felicitas, si adversitas quæpiam eandem nisa fuerit abstrahere.

II. Paucis esse contentus adlabora. Nam summa felicitas eo consistit in loco, qui à fortunæ furiis est immunis, & qui paucis contentus esse novit, quid est, quod metuendum habeat? non paupertatem: *Qui enim se ad id, quod natura exigit, componit, non tantùm extra sensum est paupertatis, sed extra metum; Ibique pax, ibi sedem figit beata vita, quæ nullius est indigens.* Et vel ideò

Seneca Epist. 97. Sen. l. 11. c 8.

III. Revolvendum tibi animô est id, mi Ethice Christiane, quod tuam infelicitatem reddere poterit felicissimam. Horreant alii paucitatem rerum; tu amabis, & felicem prædicabis, si & DEOS pauciſſimis indigere rimatus fueris. Quid enim felicius, quàm DEO esse simillimum? audi Socratem verè & lucu-

culentè apud Laërtium dictantem : *Eum esse Diis simillimum : qui quàm pauciſſimis indigeret ; cùm Dii omninò nullius indigeant rei, & divinus ille est, qui nullius indiget, proximus* (divino) *qui paucis.* Socrat. apud Laërt.

IV. Si infelices eventus experiri cogeris, futuræ vitæ felicitate temet ſolare. Forti ſtoicorum pede ſuſtine viam regiam, non enim infelix hæc cenſenda via eſt, quæ ad felicitatem manuducit interminabilem.

V. Si plurium habendorum te inceſſat cupiditas, ſi ditionum augendarum ambitio, recogita, quantum ſpatii corpus tuum à morte ſit occupaturum ? cur proinde tanta tam exili corpuſculo terrarum ſpatia longè extenſa coëmuntur ?

VI. Si felici fructu tibi fluant œconomica, mediô contentus eſto, extremum & ſupremum felicitatis gradum nè quærito, nimiùm enim

ſolicitæ induſtriæ plerumque ſunt detrimento.

VII. Dominus, ut felix eſſe geſtiat, felices reddat ſubditos, non extremas penè plumulas deglubendo; illud Claudii Tiberii Symbolum cordi inſculptum circumferat: *Meliùs eſt tondere, quàm deglubere.* Qui enim omnia exſugit, enervat, & enervatur deinceps, cùm reſtet nihil, quod expetat. Colonus non totam dejicit ſalicem, ſed ramos recidendo, vires permittit incremento, ut indè denuò reſumere valeat, cùm eguerit. Magnus Alexander *odit olitorem radicitus olera excidentem.*

VIII. Si quis Ethicus tantùm velit uti multiplicatione & non diviſione, hujus felicitas eſt ipſa infelicitas. Proinde tunc ſolùm dicendus Ethicus feliciter dives, ſi verè eſt dives. Nam ùt Ovidius canit: *Non omnis dives eſt dives.* Verbum enim

enim *dives* à dividendo derivatur. Non autem tam procul omnes divites deveniunt in Arithmetica, ut discant dividere, sed aliqui soli sunt in multiplicatione, id est in pecuniarum corrasione & aggregatione, sed hi, dum appetunt plurima, perdunt se & sua, & ità hac felicitate divitiarum evadunt infelicissimi. Imò utinam & non multos felicitate æterna spoliâsset felicitas nummularia & pecuniaria, non enim abs re amara Mediolanensis Ambrosiæ est quærimonia: *Quòd fœnus pecuniæ funus sit animæ.* S. Ambros. in l. ad Thes. 5.

STA-

STATIO X.

Par Impar.

Declaratio.

NOn monaſticæ ſolùm, verùm & œconomicæ Ethicæ tibi ſalubria injicienda rebar documenta. Ut ſi fortè unitatem pertæſus cælibatûs Politicus, Par ſocietatis aſpiraret conjugalis, impari haud quaquam jungatur conſorti conthorali, ſuámque etiam via hac noſtra offendat ſtationem, è qua ſtatûs maritalis ſuſtinendi capeſſat monumenta. Triplici namque ſtatu diſtincta nitet Romana Religio, Virginitate, Cælibatu, ac Matrimonio, quorum poſtremum plumbum non nemo à Sanctimonia celeber Saxonum Epiſcopus, medium verò argentum, ac demum Virginitatem

au-

P. Sc.

X.

Epigramma

Nec canis accordat Feli; ferit Ursus in agnos
Hinc decet usq; parem consociare pari.
Ergo cui placida arridet concordia vitæ
Discordem haud sociam duc! sapecorde parem.

aurum appellabat ; neque tamen auri hujus aut argenti tantùm expetuntur decora ; quin potiùs plumbum illud humeris durè portandum injicitur, adeò insensatè, ut qua mente id actitent non pensantes, non longè post plumbeam crucem domesticam tanto sibi oneri persentiscant, quam crastina aurora umbris ac urnis lethalibus gestirent consepeliri. Docet id scribendi dexteritate Eximius P. Stengelius in mundo Theoritico. Maritus quidam, cùm uxorem suam ceu crucem pessimam exanimem (ùt gaudenter putabat) è domûs limite elatam solatiosè aspiceret, verùm impactô fortè in latus quoddam porticûs sarcophagô, ab extasi excitatam, domúmque relatam tantò lugentiùs ingemisceret, illud evenit non illepidè : ut altera abhinc hebdomade verè fatis functa consorte sua, protinus in penates suos cogeret portitores, queîs sumis interpositis precibus magnam pecu-

niæ

niæ ſummam pollicetur, nè modò in latus plateæ iterum cum urna demortuæ impingentes eandem fortè denuò ad vitam revocent, domúmque vivum hoc revehant martyrium. Sic nempe diſpar ab intentis ſolatiis ſequitur conſequentia, ubi impar conjugii par ſociatur. Diſtinctio ſtatûs conthoralis lites movet plerumque ac jurgia, unitas conditionis unionem adamat. Pares eſſe teſtas ac conchas oportet, ut conjunctæ parturiant unionem. Ceu æquales mores integrum gignunt amorem, ità par conditio conjugum in charam coaleſcunt ſocietatem. Vallibus licèt jungantur excelſa culmina, attamen has elatô ſuperciliô montes deſpiciunt. Et niteſcens licèt in umbris cynthia, nativô fraudatur lucis ornamentô, dum ſoli apricanti aut diei claræ fit connuba. Ità ſi tenuior (tametſi in ſua claſſe florida) Excellentiori ſtatui jungatur ſtatûs conditio; ſuum amittet florem, & nobilitatis haud

haudquaquam decorem acquiret, nisì cum ſarcaſmo. Et vel ideò nîl tibi Politice eſſe velim congruentiùs, quàm (ſi fortè plumbi hujus onere vitam peroptes fatigari) ut nubas pari: *Si qua voles cautè nubere, nube pari.* Nec dote, ſed virtute; nec formâ, ſed famâ bonâ; inſuper & conditionis æqualitate ducenda tibi uxor eſt. Virtute inquam, non dote, *nam veniunt à dote ſagittæ, intollerabiliúsque nihil eſt, quàm fœmina dives.* Dos autem hæc materna pulcherrima eſt *vita pudica*, ait Bias. Famâ non formâ eſſe conſpicuam addecet: namque ùt canit Ovidius:

Faſtus ineſt pulchris, ſequitúrque ſuperbia formam.

Hinc ſi tumidam, Majeſtatem ultrà conditionem ſpirantem duxerit candidus ac cordatus Socrates, quæ non imperia, quas cavillas à ſarcaſtico mulieris ore cogetur excipere, amore conjugali procul exulante: ſiquidem:

Non

Non bene conveniunt, nec in una ſede morantur
Majeſtas & amor.

Sic nempe infauſtum eſſet Ethico conjugii par, ſi impar. Animadverterent hæc incommoda, utinam illi, qui vix dum prima lanugine tincti, jam nihil magìs, quàm nuptias ſuſpirant, quorum præmatura deſideria, illicò ſumma pœnitudo plectere conſuevit, ut inter nuptias & exequias ſolus plerumque dolor intercedat; adeò ut ejuſmodi conjuges poſt longum annorum tractum ſerò nimìs obſervent illud Hypocratis apud Stobæum Serm. 62. nimirum *duos tantummodò dies cum uxore jucundos habuiſſe, illum ſcilicet: quô uxor in thalamum aſſumpta eſt: & alterum, quô mortua in tumulum eſt delata.* Ergo: iterum audi documentum:

Si qua voles nubere, nube pari.

Ap-

Applicatio.

I. PEriculoſum eſt cum omni muliere converſari; ſed tutior eſt, inquit Dalmannus in Tyrocinio Aulæ, qui ducit parem. Unde ſi es David acceptus ex paſcuis in aliquam dignitatem, quid non cogeris audire quotidie? ſi ducas aliquam nobilem Michol? vocabit te continuò filium Iſai, & non curabit, etiamſi urſos, & leones, Philiſthæos, & Gigantes occideris; Quid non cogeris audire, ſi pauper es ùt Codrus, aut Irus? & ducis divitem Junonem? Quid non cogeris audire? ſi Narciſſus es? & ducis edentulam Baucidem? Quid denique non cogeris ſufferre, ſi es Antiochus 80. annorum, & ducis Nymphulam 12. annorum? Ergo Ethice *nube pari.*

II. Antiquum eſt illud:

Quæ tibi ducenda eſt, habeat P. quinque puella,
Sit Pia, ſit Prudens, Pulchra, Pudica, Potens.

Sed

Sed quia rara avis est in terris & procul hodie ac de ultimis finibus pretium ejus, ideò cùm uxoris necessitas, malum ventiletur necessarium, id age saltèm, duo inter mala minus malum elige. Ceu is staturæ protensæ, cùm pusilli corporis uxorem ducens quereretur, cur id ageret? reposuit: *Uxor omnis malum est necessarium, ego proinde tanta inter mala minus eligo.*

III. Dalmanni consiliô familiarem nimiùm, blandam, loquacem, doctam, musicæque gnaram nè ducito. Siquidem ejusmodi Domicellæ & visitare alios, & visitari sueverunt non sinè Patris Familias incommodo.

IV. Sola formâ conspicua si ducitur, periculosa est atque superbiæ obnoxia, nam ùt antè citatus Naso suboluit: *Sequitur superbia formam.* Antisthenes (quod tamen nostri instituti non est dijudicare) adolescentem edocuit nupturientem, ajens: *Si formosam duxeris, habebis com-*

communem, si deformem, habebis pœnam. Quanquam monitum id Gelius Bianti tribuat.

V. Si ducatur nimis culta, infert domui ruinam.

VI. Si nimis sagax, decipiet maritum; & ità erit gallina Domina, fiétque locus veritati in adagio contentæ Italico: *In illa domo non est pax, ubi gallina cantat, & gallus tacet.*

VII. Si ducatur nimis juvenis, res familiaris negligetur.

VIII. Si senio rancida, rugis nubilam præferens faciem, tum sudo etiam cœlo ciebit tempestates, atque contentioni nullum imponet terminum, adeò: ut & marito vitia oggerat singula, quæ per diei commiserit decursum, conformiter illi, de qua, illa feruntur: Eam habebat, nescio felicem sibi, an infelicem dicam, Xantipen Maritus quidam, ut cùm alii pœnitentiæ tribunal adituri in discutienda se torqueant conscientia nimiopere, is interim P. Senftleben in Philos. moral.

facillimam ſua delicta rememorandi methodum feliciſſimè ſortitur. Vivum namque is delictorum ſuorum domi habebat catalogum, in quem peccata, tametſi annotârit nunquam, verùm tamen pridie confeſſionis legebat & colligebat omnia. Siniſtrô namque oculô reſpexit uxorem ſuam pridie, & en! tum illa vix oculi nictu læſa ſiniſteriori, cogitationes, verba, opera viro ſuo exprobrare, ceu ſcriptô notâſſet omnia, objicere pergebat, ut nulla ultrà excutiendæ conſcientiæ viro cura ſupereſſet.

IX. Si ducatur vidua, tua conditione altior, aut indocilis; ſemper obtrudet defuncti nobilitatem ac decora novo Marito.

X. Si nimiùm dives: dominium affectabit appoſitè ad illud Plauti: *Argentum accepi, dote imperium vendidi.*

Hinc

Hinc pulchrè Martialis :

Uxorem quare locupletem ducere nolim,
Quæritur ? uxori nubere nolo meæ.

XI. Si ducatur nimìs pauper, trahet ſecum neceſſitatem.

XII. Si liberalis nimiùm, multa peſſumdabit ac dilapidabit.

Hæ ſatìs ſupérque ſuppetunt præcautionis regulæ, quam cavere, quã verò ducere expediat Thori Maritalis conſortem. At etiam non erit ſupervacaneum, qua ratione ductam regere & moderari oporteat ? quaque ratione unus alterius reſpectu vivere debeat. Quare ſit

I. Alphonſi Aragonum Regis eſto regula : ſcilicet ut placidiſſimè convivant conjuges, ſit *cæca uxor, & ſurdus maritus :* id eſt, uxor mariti defectus non videat, & maritus jurgia ac murmura (quæ generis ùt plurimùm fœminini) non audiat.

II. Paradoxum tibi erit: num uxor inquieta verberibus nonnunquam corrigenda? Negat id Aristoteles & cum illo Altiatus insignis Juris Consultus. Tibi quòd visum fuerit, ratio satìs supérque suggeret. Id enim Ethicorum pertractare haud esse censeo. Unum tamen Socratis si lubet exemplum sectari, ego non inficior. quid egit is? fulminante sua furiis agnata Xantippe, quin & aquas in illum depluente, risit inquiens:

Quid mirum, si pluat? postquam ità tonuit.

STA-

Epigramma

Herculis Exuviæ vulgant probagesta tacendo
Orba quoq; Heroes Voce Trophæa canunt.
Infandum à fando, Facundum laudo tacentem
Si modò fœcundum munera laude probent

STATIO XI.
Facunda Taciturnitas.

Declaratio.

NOn ſemper diſerta Oratorum Suada, ſed & elinguia tacitorum ſilentia ſuâ pollent facundiâ. Fœcundóſque plerumque ingeniô, quos non nimiùm facundos edidit natura. Profundum portendunt aquarum ſilentia, cùm interim ſuſurrantes rivuli ſinum, ac fundum ſuum pandunt omnibus; ità inanes animi ac vacui, qui nimiùm facundi; cùm interim profunda ingenia altiſſima adamant ſilentia, ſi non aliis, ſibi tamen facundiſſima. Ovum amittit garrula gallinæ clocitatio, cùm interim, Plinio teſte, ſylveſtrium anſerum agmina eas prætervolantia regiones, in quibus grues

insidiatores præterlabentium aërem anserum demorantur, lapillô ori impositô nativam corrigunt garrulitatem, & silentiô unicô plurima evadunt pericula. Quanquam tamen & his facundia profuerit, cùm capitolium servare addecuit; pulcherrimô Ethico documentô: quem & esse taciturnum, at non penitus infacundè, & facundum taciturnè expediet. Injicere quandoque ori calculum oportebit, ut silentiô hostium & insidiatorum eludas pericula. Fari verò atque facundum esse laudabile erit, ubi secreta danda erunt consilia. *Prudentis* namque (teste Menandro) *est: in loco tacere, & in loco loqui.* Semper enim tacere vitium est, & semper loqui, haud quaquam virtus: *Loqui enim nescit, qui tacere nescit.* Et vel ideò loquacitatem attemperet taciturnitas, hanc temperata moderetur facundia. *Semper sit in verbis mensura, in sermone statera, plus dilige audire, quàm dicere: plus auscul-*

Henrici VI. Imper. Symb.

Isidorus.

ſcultare, quàm loqui. Tempus enim eſt, quando nihil, tempus, quando aliquid; uullum autem tempus, quando omnia dicas. Quantum enim probrosũ eſt loqui ſemper, garruláque jactantiâ graculum imitari, atque convivas inter ſapientes omnia, quæ ſcis Authorum fragmina eructare, ac ſcientiæ tuæ nundinas palàm verbis proponere, tantò periculoſiùs iis, qui à conſiliis ſunt ſecretioribus, nimìs eſſe loquacem ubique; hunc enim plurima ſibi mente proloqui, atque ità taciturnirate facundum intrà ſe fas eſt; nam Cicero Præfatione l. 3. de officiis ait illum ſapientem, *ſibi ipſi in ſolitudine loqui ſolitum*, & ità tacendo ſibi eſſe facundum; maxima è contra non rarò ſecreta per colloquia prolixiora, ceu ſolis radii per rimas tralucere ſolent, ut enim tuta ſerventur conſilia, muta eſſe expedit. Lampas non tecta levi venti cujuslibet flabrô afflatur, extinguitur; niteat tametſi inter Conſiliariorum ſubſel-

lia Ethicus, si sua palàm cuilibet hominum sorti exhibuerit negotia, difflabuntur ejus intenta omnia. Cuniculis comparia hæc esse oportet subterraneis, hi, si silentiô premantur occulti, grandia enervant hostium propugnacula. Sin propalentur, in irritum casúmque labor est omnis. Ità consilia Ethici si lateant; quis horum ignarus, eadem irritabit? quod si pandantur aliis, fiet id, quod Plato asserit: *Cui secretum, eidem libertas committitur.* Solitarium esse paſſerem addecet secretorum administrum, qui nullibi facundus, nisì ubi solus, sibi namque ipsi melos accordat dulcissimum. Sibi pariter accordet consilia sua Ethicus, ut ibi consonent pulchriùs, ubi ea facundè fas erit depromere. Plura audire magìs juvat, quàm plura loqui, ideò iterum Stobæus citat. ex mente Demosthenis: *Natura hominem binis instruxit auribus, at verò linguâ duntaxat unicâ.* Ut plura audire, quàm lo-

loqui quiſque peroptet. Et ità ipſa taciturnitas facundiſſima veri Conſiliarii erit Prædicatrix.

Applicatio.

I. OMnia dicere, quæ aliquis ſcit, ſuperbia eſt. Utì tabula Prudentiæ ſuprà indigitat.

II. Rarus in colloquio, charus eſt, ille enim ſui relinquit deſiderium, qui prolixitate ſermonis cavet incurrere faſtidium.

III. Parcè æquales, parciùs tamen Magnates alloquendi ſunt, nec inconſideratè; hi namque malunt audiri, quàm audire; & quæ apud illos malè dicta aut incongruè ſubindè ſunt, vix ulla rectè facta valent corrigere.

IV. Quæ fidem invenient difficilem, cave recenſeas, ità ſiquidem fidem tuam ſuſpectam redderes.

V. De iis ſermocinari, quæ cuipiam aſſidentium ruborem incutiant, impolitum eſt.

VI. Et

VI. Et vel ideò inter ſocietates pluriúmque præſentiam vel laudanda temperatè, vel potiùs ſilentiô prætereunda, ſi encomiô ſunt indigna.

VII. Calumnias ſibi impactas recenſere non expedit, aliàs creduli nimiùm, talem ſuſpicabuntur.

VIII. Si rei cujuſpiam imperitus es, quæ ſermone ventilatur, cave ſis! temet ad eam diſcurſu promovendam ingeras. Nam Theophraſtus ſilenti dixit: *Si indoctus es, prudenter facis, dum ſiles, dicenda namque ſunt meliora ſilentio.* Aliàs metue, tibi nè accidat, quod Æſopico Aſello: Indutus is pellem leonis vagabatur reliqua bruta perterrendo: cæterùm viſa vulpe rudendo hanc molitur perterrefacere; at illa; profectò extimuiſſem probè, & leonem reverita fuiſſem te, nisì rudentem audiîſſem. Ità mi Ethice! non rarò evenire experimur; multos æſtimatione eſſe phaleratos ac prudentes Elephantos, ſi taceant. At ubi vocem

cem ſolverint, ubi in verborum copiam effuſi fuerint; rudere notabuntur ineruditi, atque ingenii ſui prodent inopiam; ceu fatuus, qui tam diu prudens eſt, quàm diu tacet, & velut loquela manifeſtum hunc facit; ità imperitum.

IX. In plurium præſentia uni in aurem aliquid cave ſis inſuſurres. Ità enim ſuſpicionis præbetur occaſio, ut cæteros ſecreti damnes minimè tenaces eſſe, aut ſaltèm exhibeas te amiciorem huic, cui ſecretò confidis quidpiam, quàm aliis.

Pro ſecretorum & Conſiliorum Adminiſtris hæc ſunt notanda:

I. SI felicem eventum actionum ſuarum exoptat ſecretorum adminiſter Ethicus, ante tempus nec remota mentione earum ſuſpicionem inducat aliis; verùm probè omnibus diſpectis & eventu felici pe-

penè certo præcognito, confestim nè palàm rem actitet. Aliàs ùt Curtius lib. 4. habet: *Nec res magnæ sustineri possunt ab eo, cui grave tacere est.*

II. Nec vestigia consiliorum tuorum, aliorum notitiæ relinque, & si quod suboleret fortè subinde, id vel excusando obtere, nè gliscat suspicio; conformiter leoni operare: Is nè à venantibus ex vestigiis comprehendatur, caudâ obterit omnia, ut neutiquam appareat, quâ leo gradiatur. Ità Ethice! multi sunt verborum tuorum venatores, qui viam, qua secretò graderis ex vestigiis (quæ sunt colloquia) nituntur cognoscere, sed iter tuum obtere, aut vestigia (sermones ajo) silentio oblitera, ut cautùs gradiaris.

Gradiebatur ità cautus in consiliis Sydus Boëmum, Stella Sternbergica Jaroslaus, qui, ceu firmamenti luminare magnũ, non diurnæ luci, sed tenebris suam tantùm credit cla-

claritatem, ità Illuſtriſſima hæc Stella (à qua poſtera Proſapia rubeo ſolùm priùs colore, ſenarióque conſpicuam ſtellam, binô deinceps radiorum auctariô, aureóque indumentô Illuſtriſſimam ſortita eſt) ità, inquam, Clariſſima hæc Stella, Conſiliorum ſuorum claritatem, nunquam temerè luci concredidit publicæ, ſed inter ſecretorum plerumq; emicare fecit conclavia. Et quid eâ factum facundiſſima ſuô locô taciturnitate: id profectò unius Jaroslai datum eſt conſiliis, quòd immanis Tartarorum exercitus Olomuciò ſit profligatus.

III. Etſi alii exſibilando tuam taciturnitatem voluerint aliqua hac trochleâ extorquere, ſuſtine: & ſubridente vultu, aliò diſcurſum reflecte. Malè licèt ignaris oleat tua taciturnitas; florebit inter ſapientes. Putreſcant omnia in mente ac ore, ceu Demoſtheni; hic enim, cùm ſibi graveolen-

lentia oris exprobraretur, repoſuit : *Bene eſt, quòd graveoleat os meum ; multa enim jam in hoc computruêre. Scilicet ea: quæ dicenda non erant.*

IV. De gravioribus negotiis deliberans ſeceſſum ab hominum adama conſortiis, quia facilè incauti ſumus, ut noſtra cogitata ante tempus ſaltèm ſub ſecreto & fidelioribus nonnunquam prodamus. Egit id Carolus V. neminem hac ipſa de cauſa compluribus diebus ad ſe admittendo, ubi graviora ſecum recogitabat negotia, ut ob id, ſæpiùs animam egiſſe putaretur.

V. Ut Prudentis ubivis nomen ſortiaris ; inter loquendum de ejuſmodi, quæ tuam fugiunt ſcientiam, nè tu diſcurſum proſequere, ſed ſilendo perge erudiri, aliorúmque auditis ſenſis acceptóque aliquo de re lumine perbrevem, aptum tamen inſperge ſermo-

monem, & Author tibi ſum, eam à te comprobatum iri à præſentibus æſtimationem, ut ſilentium tuum non imperitiæ, verùm conſpicuæ adſcripturi ſint prudentiæ. Dum ex tali apto verbo plura in te latere colligent auditores.

STA-

STATIO XII.

Solitudo converſativa.

Declaratio.

QUod multis errore deviis animis videtur activitatis Politicæ diſpendium, Beatitudinis Ethicæ eſt compendium. Solitudo enim ab aliis, ùt Myſantroporum, ac ſylveſtrium faunorum ſpelæum exſibilata, plurima agentium, ac perpetuò converſantium hominum nobis eſt Magiſtra. Beata ſolitudo ſola Beatitudo, haud quaquam laboris expers, in otio ſuo negotioſiſſima. Semper publicis crepitare in compitis, cum ligneis crepitaculis, negotium eſt otioſiſſimum. Semper tectis alienis evagari, ferum; ſemper aliis egere, ut conſoleris, inanis & vacui animi indicium. Fa-

tuo

XII

P. Sc.

Epigramma

Otia per longa illustres fert Struthio partus
Atque anima instanter gnava sedendo sapit
Omnia si vulgo facias vulgaria sunto.
Hinc quæ moliris grandia solus age

tuo non abſimilis eſt nimiùm effuſus animus. Nunquam enim domi, qui ſemper foris; nunquam ſuus, qui ſemper alienus. Nihil profectò in ſe abſolutum reputet, qui ſemper eſſe peroptat reſpectivus.

Alterius non ſit, qui ſuus eſſe poteſt. Majoris animi indicium eſt extra ſe non quærere ſolatia, cùm ab intrà ſibi ſuppetant quàm plurima. Magnorum negotiorum ſchola eſt ſolitudo. Neque ullus Magnus comparuit in publico, qui non talis factus ſit in privato. Non in aprico creſcunt margaritæ; ſuis ſolitariæ diu hærent in conchyliis, ut publicum pretium mereantur. Quod in triviis perviis, ac publicis proſtat continuò, ea dignum eſt æſtimatione, ut pedibus obviis proteratur. Inter quieta ſolitudinis otia Regnorum perficiuntur ac Imperiorum negotia. Ut plura perficias; paucioribus immiſcearis, eſt neceſſe. Si enim *carmina ſcribentis*

ſeceſſum & otia quærunt, quantò magìs grandes Regentûm curæ? ſeceſſus Virorum Politicorum anima eſt Reipublicæ; emortua hæc langueret, nisì deſudantia magnorum animorum ingenia in conclavibus laterent, & ſolitarii in otio deliteſcentes, minimè eſſent otioſi; Exemplô Scipionis Africani de ſe dicere ſoliti: *Nunquam ſe minùs otioſum eſſe, quàm cùm eſſet otioſus. Nec ſe ſolum eſſe, cùm eſſet ſolus. Magna* profectò, *& magnifica vox*, inquit Cicero Præf. lib. 3. de Offic. *magnóque viro ac ſapiente digniſſima, quæ declarat illum, & in otio de negotiis cogitare, & in ſolitudine ſecum loqui ſolitum.* Scilicet ſententiæ inſiſtat Philoſophicæ Politicus, quæ in puncto reflexionis docet quieſcere qualitatem; nam præſtantiſſima Ethici eſt qualitas, dum quietè in ſeceſſu reflexionis amat punctum, ac ſuper ea reflectit ſolicitè, quæ acta ſunt aut agenda reſtant gloriosè. Natura moveri deſinit, ut moveatur for-

fortiùs, ità is agere desinat in speciem, ut agat deinceps circumspectiùs. Placet proinde aliis socialis vitæ gratia, quæ *morborum impetus arcuit, senectuti adminicula prospexit, solatia contra dolores dedit;* teste Seneca. Nobis tamen sola hæc irrestrictè non probatur, nisi quæ mixturâ non caret solitudinis, parum enim humanæ societati prodesse potest vas, quod continuo effluxu patet omnibus, evacuatur tandem penitùs, nihilque præter inanem servat sonitum. Sint proinde multorum vagabundorum socialia colloquia exhilarationi animi ad tempus; effusa tandem nimiùm, nec interpolatâ morâ, vilescent, omni fructu vacua ac præter sonum sat ingratum, utilitatis habebunt nihil. Illud ergo arrecta aure audiatur Senecæ monitum: *à turba, quantum potes, te separa.* Et: *quæ observanda tibi sunt, ut tutior vivas? dicam: nihil æquè proderit, quàm quiescere, minimum cum aliis loqui, plurimum*

mum tecum. Neque idcirco fugienda tibi urbium, ac populi frequentia, aut Thebaidis illa vivorum quærenda sunt sepulchra; solitudo nostra conversativa est, extra domos & extra conclavia solitarium sustinet Politicum, modò extra se non exeat. Vivat ità aliis, ut nunquam non vivat sibi; negotiis non mancipet, sed commodet animum. Plus eges solicitudinis de te solo mi anime, quàm tui egeat extranea hominum societas; insiste, per me licet, extraneis curis, imò & bellorum turbinibus tuas vires commoda; verùm tamen extra te penitùs nè exeas, tecum solo conversare; majores namque & fortiores hostes alit animus, passionum nempe satellitium, etsi inter Bellonæ strepitus multus, aut pacis oleas solus conquiescas, nunquam tamen eris solus, etsi solus. Intrà te seditiones tumultúsque non rarò persentisces: amoris scilicet, desideriorum, gaudii, atque his oppositarum motio-

tionum, & insuper spei, audaciæ ac iræ. Hæc intestinô bellô exardescet infamis familia, téque etiam solitarium coget esse versatissimum.

Applicatio.

I. CAve sis frequens in publico, qui enim foro distinentur, plerumque venalem dedêre sapientiam.

II. Dum conclavi tuo delitescis, nemo te inveniat non agentem. Scribe, lege, ità namque animum divertes, & particula bonæ diei non te præteribit, utì sacer monet Hagiographus.

III. Ex hominum redux consortio, vide, qualis illic fueris? qualémve esse oportuerit? an major morum excellentiâ redieris? an verò illam tibi occinere querulus debeas palinodiam: *Quoties inter homines fui, minor homo redii.* Thom. Kemp. lib. 1. c. 20.

IV. Quòd si scribendi aut lucubrandi aliqua te incessat cupido,

omnem laborem irritum aut mancum reputa, si non serio secessu scribenda libraveris; nam teste Flacco: *Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit urbes.*

V. Cùm solitarium volumus Ethicum, non petimus Misantropum. Urbes frequentet, negotiis se occupet, in publicum exeat, nunquam tamen extra se ipsum: Magister nobis in hoc est Romanus Philosophus: *Miscenda ista & alternanda sunt: solitudo & frequentia; illa nobis faciet hominum desiderium, hæc nostri. Odium turbæ sanabit solitudo; tædium solitudinis turba.*

Seneca de Tranquill. animi c. 15.

VI. Studenti omni perniciosa est conversatio; extraneis enim rebus impeditus animus inhabilior fit ad subtiliora, aut Stagiritæ, aut Justiniani, aut Galeni & vel maximè divinæ scientiæ Theosophiæ condiscenda placita. Ideò Pythagoræos scimus remota prædia, lucos, templaque coluisse. Platóque ipse secessum in Academia selegit.

VII. Qui

VII. Qui verò atræ bilis esse notantur, eos è contra magis decet hominum societati couniri. Talis enim, cùm per naturæ vitium ad solitudinem inclinet plurimùm, etsi alios inter versatus fuerit, & inter alios suus facilè permanebit. Vitium enim id esset maximum, verba nè aureis quidem velle divendere, aut ceu feram angulis inhærere, inutilibúsque feriari cogitationibus. Talis erat Timon ille Athenienſis, quem hominem vix dixerim, qui in ipsa vita adeò mortuus ambulabat, ut ipsa hominum fugeret vestigia. Semel duntaxat in vita ad concionem ascendisse fertur, cúmque factum novum mirarentur singuli, is ea protulit: *Est mihi, ô viri Athenienses! post ædes hortulus, in quo ficus exaruit quædam, in hac permulti nostrorum civium jam se se suspenderunt; nunc in eodem loco ædificium meditor exstruere, quam ob rem visum est mihi, vos publicè admonere, si quis fortè sit, qui sui adhuc suspendium exe-* Plutarch in Anton.

qui intendit, antequam arbor excidatur. Eò nempe insaniæ devolvuntur nimiæ, & indiscretæ solitudinis sectatores, ut ad vitam tollendam aliis hortari non vereantur, vitáque illis tœdio sit maximo.

VIII. Qui sublimiori dignitatis cujuscunque pollent officio, subjectis apud hos *porta patens esto.* Ut ùt enim eos abstractiùs vivere expedit, nec undequaque angulorum percurrere secessus; ità etiam nulli è subjectis ullo tempore, quantum fas erit, expedit fores esse inaccessas. Docuit hanc solitudinem activam Rudolphus I. qui homines nonnunquam aditu prohiberi conspicatus exclamâsse dicitur: *Per DEUM finite eos ad me venire, non enim sum ad imperium vocatus, ut in arca includar.*

Chokier Thesaur. Polit. l. 2. c. 8. Exempl. 14.

STA-

XIII

Epigramma

Festinare nocet, sanctum est moderamen in actis
Tempore quæq; suo qui facit ille sapit.
Una solet fungo nox vita esse; altera lethum.
Interitu celeri quæ citò nata cadunt.

STATIO XIII.

Tarda Celeritas.

Declaratio.

NEc Aquilinos, nec teſtudineos greſſus via noſtra probat lactea, neque enim omnes aquilarum pollent pernicitate, ut ad ſolis propiùs regiam valeant evolare; tarda celeritate tractanda ſunt ſingula; nam præcoces fructus ſunt haud diuturni. *Feſtinandum* proinde *lentè eſt*, Caji Octaviani Cæſaris Auguſti monitô: *Tardè acceleranda ſunt omnia*. Ætas præcocula, quæ præſipit, rarò tunc ſapit, cùm oporteret maximè. Hebeſcit videlicet præcipiti partu ingenii vis ac ſpiritus, vel extinguitur penitùs. Alas homini negavit, pedes addidit natura parens, ex quo conjicias: neque

que eidem volandum præcociter, neque cum reptilibus pigrè serpendum, sed tardè accelerandum, pedibus eundum. Magna licèt moliantur præcocia ingenia, vix tamen effectu consummant absoluto; aut si ità contingat, id magìs felix est eventu, quàm consiliô; quin & summa, ac nimiùm velocia ingenia Senecæ judiciô *mixturâ ferè non carent stultitiæ.* Scilicet citò adolescentia ætatem haud ferunt. Una nox producit fungos ad maturitatem, sed una lux eosdem deducit ad occasum. Quercus sæculis crescunt, ut sæculis durent, audeántque etiam fulminum minis ex porrecto tametsi altè vertice illudere; Elephas decenniô parturit, sed prægrandem partum, dum citò parturiunt alii, prodit *ridiculus mus.* Sat citò proinde aguntur negotia, si sat bene. Si tardè acceleres, moram meliori simul permittis consilio, ut regredi possis facilè, si lentè progressus es; nam incepto etiam cursù sapien-

pientis est mutare consilium. Consilia tardè, executio celeriter agenda sunt Ethico, nam *anima consilii est tarditas, executionis celeritas* inquiebat Carolus V. Fabii dum tardè celerando, *& cunctando restituunt rem*, tum Terentiorum Maronum præceps furor ad cannas Paulos Æmilios, & Rem publicã in arcto deprehensam ultimô dejiciunt excidiô. Hinc dignissima, quæ cœlo sculpatur Fabii ad Paulum Æmilium adhortatio: *Sine*, inquit, *timidum pro cauto, tardum pro considerato, imbellem pro perito belliduce vocem; malo te sapiens hostis timeat, quàm stulti cives laudent; omnia* namque *audentem* præcociter *contemnet* Annibal; *nil temerè agentem*, id est, cunctando & quasi tardando accelerantem *metuet*. Liv. decade 3. lib. 2. Ità quos præcipites excidiô delevêre nimiæ acceleraciones, tarda acceleratio & operatio, ac *longa dies homini docuit parere leones*. Neutiquam tamen gradiendum languidè, dum ire moneris

neris lentè ; mora nimia nocet ; moderata prodeſt ; ipſus Annibal ad Cannas canens victorias , Romam pro complemento ſtatuit triumphi; ſed quia corvos procraſtinando, non aquilas accelerando eſt ſecutus, mora illum Româ privavit penitùs & triumphô ; & penè de victoriæ cannis ad Cannas obtentis excuſſit. Aliter egiſſe viſus eſt magnus ille Macedo : cùm rogatus; qua ratione tam modico tempore ad mundi propè perveniſſet terminos, reponeret: *nîl differendo.* Nimia namque dilatio ac mora pariter felicitati Ethici videtur inviſa, idémque putatur eſſe: vel ſerò velle, ac nolie penitùs, ut divina teſtatur penna : *Vult , & non vult piger.* Tollenda ergo mora eſt animante Lucano: *Tolle moras , ſemper nocuit differre paratis.* Quod hora neglexit, quandoque vix ſæcula reſtaurant. Hæc ergo probè animadvertenda ſunt, tarda celeritate, non prohiberi diligentiam, verùm præ-

co-

cociter motos componere fluctus animi. Tarda Ethici celeritas in agendo ea fit, ut anima consilii sit tarditas, executionis celeritas, ità antè citatus Romanus Monarcha.

Applicatio.

I. VIres tuas examina Ethice, quibus ferendis pares sint, fatiscit namque sub pondere, qui plùs assumit, quàm ferre possit. Unde si tardiorem te noveris ingeniô, negotia aliorum noli polliceri te quantocyùs transacturum, sed moram tibi expete, ut lento gressu ea possis accuratiùs consummare.

II. Consilia præcociter aut sententiæ nunquam sunt ferenda. Si enim pernicioſa comperta deinceps fuerint, irrevocabilia ob famæ propriæ æstimationem censebis, vel planè revocare ea non licebit proprio cum detrimento. Laudabiles in hoc fuêre binæ de ranarum gente in fabula sociæ, cæ è palude æsta-

æstatis tempore exsiccata cùm migrare cogerentur; ulteriùs peregrinæ in puteum at profundum offendunt. Cuduntur consilia: placet uni harum recentem spirans lymphulam puteus pro habitaculo deligendus, quin & abs mora in hunc insilire, monet sororculam alteram; cùm interim providentior altera præcocem sociæ electionem ad trutinam sumere, eámque pergit increpare, quid ità, inquiens, peroptas nimius præcipitis ingenii viæ comes? quid si & hic siccetur torrente sole puteus? qua demum arte ex tam profundo exscendemus? en mi lector! tardior licèt decisio & consilii vis, præcipiti quantum præstet, ex adjecta fabella collige veritatem!

III. Assumpta negotia nè uno velis rictu comprehendere, aut unius penè horæ spatio perficere; diverte animum tantisper; cumprimis si caput impetunt labores assumpti, sin id agis; valetudinis malum

lum in te devolvis maximum. *Amant enim alterna Camœnæ. Et quod caret alterna requie, durabile non est;* danda enim corpori quies & animo. Et plus sæpè præcox celeritas obest, sibi & aliis accelerando negotiorum terminum, quàm prosit; dum affectum valetudine corpus sibi & aliorum commodo reddit inutile, cùm interim, qui lento gradu procedunt, frequentiùs usui esse possunt.

IV. Pariter si severior ingruat tibi speculatio, præcipitandum in hoc est minimè. Sed tardè in hoc accelerandum est. Siquidem ejusmodi studium præceps, mœrorem generat, si sit continuum stringit pectus, cor infrigidat, vitales spiritus captivat.

V. Ut noxia in agendo aut consulendo vitetur celeritas, mens ante omne opus ad nativum redigatur temperamentum, illo primo Ethici re-

regulata fundamento: *Quidquid agis, prudenter agas, &c.* Sit quieta, non perturbata prædominantibus passionibus, tum appetitûs concupiscibilis, tum irrascibilis libera; aliàs accelerabuntur opera ferò nimìs cum phrygibus deploranda.

VI. Insuper qui præcipiti nisu omnia vult persolvere, minimũ plerumque perficit; mens enim nimìs obruitur angore, & temporis angustiâ. Tales plurimos hodie usque videre est, qui vix dum minimo pollent munere, & eam angustiarum temporis queruntur parcitatem; & ea solicitudine ac curśitatione pertractant omnia, ac si muros hostis haberet; Trojáque jam totâ in flammas actâ novi Anchises essent ab Ænea per medios ignes efferendi, aut planè nova Herculis molimina attentanda, cum interim muscas quasque summa grandescere in negotia solùm sibi fingunt.

VII. Ul-

VII. Ultimò jacturam potiùs æstimationis propriæ elige, quàm ut deproperatô consiliô noceas saluti publicæ. Ità fecit Pupilla consiliariorum Thomas Morus Anglus; qui identidem ad matura consilia, nec præpropera, Regis cohortabatur ministros; insuper censebat, nequaquam eo die (quô quidpiam deliberandum proponebatur) de eodem consultari oportere, aut disputari; sed ad proximum differri conventum; ità equidem, non id solum, quod fortè in buccam veniret, temerè effutiri posse; sed lenta deliberatione justa consilia statui. *Nimirum deliberandum est diu, quod statuendum est semel;* & profectò *ad pœnitendum properat, qui citò judicat.*

STATIO XIV.

Cæca Visio.

Declaratio.

LYncem exoculatum decet esse Regentûm animum, *qui quædam dissimulat ; simulat nîl ; credit ùt Argus.* Centum licèt oculis videat, occultáque dispiciat, ac præsciat, aliis imperans Ethicus, attamen vidisse se, aut resciviſse talia non nunquam dissimulet. Dissimulatio namque tempore & modo suo adhibita, prudentiæ momentum est maximum, & utilitatis ac fructûs sæpè pondus fortissimum. Nimìs vigili excubans palpebra Argus, nimìs est suspicax; ità Ethicus, cùm omnia tuta timet, plura videt mala in subditis, quàm perpetrentur. Vigilantia nimia, vigilantiores

XIV

Epigramma

Musca licèt morsu offendat, Leo non furit inde
Nempe, quod hic clemens Rex imiteturhabet.
Invisum regimen, nimis aspera visio reddit.
Ut videare Vigil Rex, mala pauca pide.

res reddit subditos non sinè pernicie, ut, quæ innocuè fortè committerent, ea ipsa dolosè inter latibula faciant nocentiùs, quia fraudulentiùs. Singula rimari, de singulis sollicitè scisciтari, omnia plectere protinùs, noxium est regimini. Durabile siquidem nunquam est, quod rigore metûs servatur, quia ferè violentum: *Cùm violenta nunquam durent.* Corriguntur ingenui faciliùs, dum errorem dissimulantis affectu impunè transiisse vident. Veniam potiùs meretur à dissimulante oculo, qui leviter & rariùs peccat. Satìs erit multoties severiorem frontem ostendisse, quàm in primo furoris impetu pœnas inflixisse. Nôsse suo tempore rerum quarundam insciùm se simulare, summa est prudentia; specie non videntis videre, & videntis non videre, munus est princeps Regentis Ethici: *Nescit regnare, qui nescit dissimulare.* Cœlum diu murmurat, & quasi secum ipso deliberat, ante-

quàm elidat fulmina ; ità ſecum ipſo priùs deliberet regnans Ethicus, priuſquàm plectat ſubditos. Iraſci facilè poſſe, inſipientis eſt ; at connivere poſſe, & diſſimulare, proprium eſt ſapientûm. Non exuit leo gravitatem, nec ſtatim de damno animantibus cogitat inferendo ; verùm ſæpiſſimè ſolo aſpectu, rariùs rugitu incutit timorem. Feras regat non homines, ùt quibus natura ſola non ratio leges dictat, qui metui tantùm cupit. Manſuetudo prima Principum eſſe debet virtus & comitas, *cùm nullum animal moroſius ſit, nullúmque majore arte tractandum, quàm homo, nullique magis parcendum.* Egit id Regnantûm Sidus Philippus II. Hiſpaniarum Monarcha, is, cùm in multam noctem literas de graviſſimis ſcripſiſſet, & eas Secretarius atramentô pro pulvere aſperſiſſet, nîl commoti animi in ſe ſcivit notari, ſed ſolùm aliam ſibi chartam porrigi manſuetè demandavit. In ſui verô inau-

Seneca lib. 1. de Clem. c. 17.

gu-

guratione, cùm perticâ multitudinem populi compescere volens quispiam, tres crystallinas lampades confregisset, ità ut oleum in Regis & Reginæ vestes defluëret, sereno ac comi vultu hoc augurium boni Regiminis est interpretatus, inquiens: *Decet, ut hodie Rex, & Regina oleô perungantur.* Ab hoc non abluit Alphonsus Aragoniæ Rex, cujus in regendo lenitatem, cùm Theonino quispiam dente corroderet, is in has Principe dignas erupit voces: *Malim multos meâ clementiâ & mansuetudine servare, quàm paucos severitate perdere.* Navigium regiminis erit felicissimum, si ad clavum sedeat amor dissimulans, Argus exoculatus; proram verò timor, non furor occupet. Dissimulationis beneficiô curantur morbi plurimi non curando. Sufficiat regnantibus dissimulatum vitium deinceps majoris cautelæ & vigilantiæ futurum documentum. Ceu cocus ille ostenderat, qui corculum pe-

cudis rapientem, & aufugientem canem his verbis perſequebatur: Age nunc, & prædam hanc aufer impune. Scito tamen, te poſthac ubicunque compertus fueris, cautiùs à me obſervatum iri; non enim mihi cor abſtuliſti, ſed dediſti potiùs. Amore ergo oculato quidem, ſed & oculos habente velatos, regat & detriumphet ſubditos, qui amari cupit. E contra ſi omnes metu percelluerit indiſcreti regiminis, continuáque virgæ acrimoniâ, quò plures ſui timentes habuerit, plures timere cogetur, teſte Syro: *Multos timere debet, quem multi timent. Tantum enim neceſſe eſt timeat, quantum timeri voluit;* ait Seneca.

P. Syr.

Seneca l. de Clem. c. 19.

Applicatio.

I. DUm diſſimulanda quæpiam ſuademus, non penitùs negligendam ſubditorum vivendi normam peroptamus. Unde punien-

nienda aliqua, sed non omnia, si enim

- *Quoties peccant homines, sua fulmina mittat*
  Japiter, exiguo tempore inermis erit.

Ridebunt namque continuas minas subditi, aut jugum excutient, aut latibulis sua actitabunt.

II. Videre oportet, & scire pleraque à subditis malè acta, & vel ideò confidentiam erga se aucupetur subjectorum, qui errata deferant, seu sua, seu aliorum; quæ si levis momenti fuerint, prætereunda; si gravioris, priùs discutienda, & tandem ea, quâ possibile est comitate præscindenda.

III. Quæ dissimulationem correctionis non admittunt, talia esse debent, quæ dissimulata vel injuriam irreparabilem, vel gravem in-

famiam, aut gravem bonorum jacturam molirentur. Leviores è contra rixæ, conjugum jurgia, pugnæ inter cantharos, plebejorum dicteria, morsus cinicorum, morosorum senum aculei, puerorum cavillæ, temerariæ suspiciones, judicia curiosorum, &c. videnda sunt, ceu non videres, & dissimulanda potiùs, quàm nimiùm quantum correctioni severæ subjicienda.

IV. Si multitudo etiam subditorum contraria sit, tametsi justis Regentis statutis, *cedendum multitudini* ammodo, ùt symbolô suô se aliósque hortabatur Marcus Aurelius Imperator; donec aut tempus faverit fortitudine majori statuta stabiliendi, aut justa ratio occurrerit subditorum menti subscribendi.

V. Post inflictam subjecto pœnam eundem paternis solare colloquiis. Itáque defectum punitum vide, & aspice, ac si vidisses nunquam.

quam. Jubet id Titius, inquiens: *Non oportere quempiam à facie patris triſtem diſcedere.*

VI. Amorem ſpecialis clementia conciliet, malit excedere ſuperior per clementiam, quàm ſeveritatis præcipitantiam; peſſima enim Pſevdo-Ethicorum regula eſt: *Metui tutiùs eſſe, quàm amari.* Firmiſſimum potiùs Livio lib. 8. *Imperium eſt, quo obedientes gaudent.* Neque honeſtiores ſolùm, ſed & tutiores præſtat Reges clementia. Trojanus omnium inſtar teſtis ſit, ſub quo meridiem altiſſimum felicitatis tenuit Roma; *Tantus in hunc ſubditorum erat amor, ut alii ſe ſatìs vixiſſe illô visô; alii ipsô visô magìs vivendum prædicarent.*

VII. Neque tamen, cùm immodicus ſubditis incuſſus damnatur metus, temperatus, modicus, & medicus eſt præſcribendus. Opus enim eſt & neceſſarium ſæpè, ut, velu-

veluti amant probi Principem ùt Patrem, improbi vereantur ùt vindicem. Aurelianus tametsi severus, necessarius est Princeps judicatus, quòd vitia mitiorem Principem non admisissent. Manus ergo sibi mutuò porrigant Clementia & Justitia, aliàs una sinè altera exiguum fructum allatura: quod egisse videtur Alphonsus Aragoniæ Rex, qui ea de se edixit: *Justitiæ beneficiô probos mihi devincio, clementiâ improbos; hæc ad timorem impellit, illa ad amorem obligat.*

VIII. In pœnis infligendis necesse est, id habeat se Ethicus velut horologium, qui antequam pro formando sententiæ sonitu malleum applicet, omnia in ipso moveantur viscera. Hoc ipsum expressurus Antoninus Pius in numismate, fulmen molli thoro imposuit, quasi clementiæ suavitatem, attemperare fulminis rigorem meditaretur.

IX. Quæ-

IX. Quæres, quid ſi ſervile ſubditorum ſit ingenium, minimé-que ingenuum?

Reſp. Nec in illis omnia, nec ſemper plectenda. Aſſueſcunt etenim etiam flagris aſini, ſi continuò verberentur; indurarique pellis ſuevit ab ictuum frequentia, ut deinceps ſentiatur nihil, cùm *ab aſſuetis non ſit paſſio.*

STA-

STATIO XV.

Quies inquies.

Declaratio.

EMenſo tandem per prævias ſtationes Ethici itinere conquieſcendum in portu eſt; terminum auſpicatur penna ſcriptoris, in quo feſſis à curſu greſſibus Politico requiem adornat optatiſſimam, ſtant littore puppes, lacteâ illâ viâ, ceu mari candidiſſimo in fortunatas inſulas provectæ; at illud metuendum vel maximè, nè in portu cymbula Politici naufragetur, cúmque quietem ſe ſperat contingere, inquietiſſimo interim turbinum furore agitetur. Ità namque viam noſtram omnis decurrat, eſt neceſſe, ut & illius attingat terminum,

qui

XV P.Sc.

Epigramma

Et lapis ex funda jactus, fragilique volucris
Fulcro nixa, suâ mota quiete caret
Fallitur in fragili placidam tellure quietem
Quisquis amat; terris non habet illa locum
In primo invenies rerum motore quietem
In hoc Summa viget qui movet omne quies

qui est sinè termino. Non abnuo ad honores, ad fasces, ad opes, ad subsellia, ad purpuras, ad epomides manuducet candidus Ethicæ nostræ trames suos stadiodromos Politicos; si sincerè notatis præviis stationibus decurratur; verùm tamen in viæ hujus terminis, si conquiescant penitùs, quies hæc erit inquies; quia in finibus consistens finiendis; alium intendat finem Politicus, eúmque infinitum, in quo quiescat gratiùs & æviternùm. Quidquid enim non satiat, humanum non quietat cor & animum, orbis namque etiam universi rotundum, triangulum hominis cor non explebit unquam. Et vel ideò uno etiamnum orbe devicto plures desiderant Alexandri; sic nempe: *Quod naturæ satìs est, homini non est; inventus est, qui concupiscèret aliquid post omnia. Congeratur in te, quidquid multi locupletes possèderunt, ultra privatum pecuniæ modum fortuna te provehat, aurô tegat, purpura vestiat,* Seneca Ep. 119. Seneca Ep. 16.

& eò deliciarum opúmque perducat, ut terram marmoribus abſcondas ; accedant ſtatuæ, & picturæ, & quidquid ulla luxuria elaboravit ; majora cupere ab his diſces. Nisì uni horum omnium aggeries innitatur Termino & Fini, qui eſt DEUS. Aureis licèt torquibus ab alto ſuſpenſum pondus lapideum quietum reputetur ; non tamen quieſcit, ad centrum enim terræ movetur, ac nativo fertur pondere. Ità & inter alta honorum dignitatúmque culmina auratos inter torques ſuſpenſa hæreat mens humana ; nunquam tamen quieta conſiſtet, cùm ſummè quieta reputatur ; quia teſte Aurelio : *Feciſti nos Domine ad te, & irrequietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.* Præfigas licèt fines tibi, quoſquos voles temporales, cum tempore peribunt, ſi in his ſubſtiteris, eóque inquietiorem reddent animum, quò inordinatiùs his priùs inhærentem. Mens humana finitis fruſtrà finibus circumſcribitur

aut

aut limitaneis, nimìs anguſta hæc ſunt, anguſtiora ſpirat, & ſperat, fini nulli, quàm huic intenta, in quo omnia ſunt contenta. Si multis terminis per creaturarum bivia ſubſtiterit animus, deviabit à termino ſinè termino interminabiliter. Fines creati prædicamentalis ſunt relationis, quia multum prædicantur, licèt hos tantùm reſpicere, infirmum ſit nimiùm; ſolus DEus creaturæ eſt terminus tranſcendentalis, quia tranſcendit omnia, tranſcendendo verò omnia comprehendit omnia. Nisì proinde limites rerum caducarum tranſcendas, pacem & quietem in animo tuo minimè contigiſti. Totum ergo quod hìc per res creatas agimus, medium, ac via eſt ad exoptatum illum terminum, & tametſi honeſtum ſit, ut fines tibi præfigas ſubalternos; nisì tamen in interminabilem rerum omnium finem & terminum DEUM relati finis exuant rationem, ordo hic erit inordinatus & præpoſterus, quia

quia fine ultimo cariturus Generosô nempe animô transiliendi sunt fines omnes, ut feraris in hunc finem, in quo beatitatis finem reperies. Quò motu in hunc ageris perniciori, eò quietè perfrueris feliciori. Consistas, per me licet, inter deliciarum Circæa pocula:

Ovid. 1. Fast. *Quò plus erunt potæ, plùs sitientur aquæ.*

Innates inter voluptatum mella! & ceu in fine ultimo conquiescas; lancinabit tamen animum plura habendi cupiditas, & finis hic finiendus quietem reddet inquietissimam; velut si flammæ adjicias pabulum, flammescet inquietiùs, ità in animo humano caducorum agglomerare copiam, est mentem perturbare, & quiete spoliare. Infeliciùs, quò plura capit, plura cupit, ceu canis: *Vidisti aliquando canem missa à Domino frusta panis aperto ore captantem; quidquid excepit, protinus integrum devorat, & semper ad spem futuri hiat; idem evenit nobis;*

Seneca Ep. 72.

bis; quidquid expectantibus fortuna projicit, id sinè ulla voluptate demittimus, statim ad rapinam alterius erecti. Ergo mi Ethice! his tot tantísque præmissis, ea tandem legitima, ac optima in forma subnectatur Ethicæ conclusio, ut nulla sit meta, nullus scopus, viæ Ethicæ terminus nullus alius, nisì finis ultimus. Fines creati sint solùm immediati, honorum nempe tituli, dignitatum, subsellia, fasces, purpuræ, sceptra, Tiaræ, coronæ; media verò respectu termini sinè termino, in quo uno subsistet quietus Ethici animus, & penna nostra tenuis conquiescit.

Applicatio.

I. UTùt aliqui omnem perturbationis causam putant ex locis, & officiis emergere, graviter errant; hoc enim sciendum: sæpè perturbationum scaturiginem esse malam apprehensionem, & malum

judicium ; quia quod tu horres, hoc alii sæpè appetunt, & quod tu appetis, hoc alii horrent. Fac ergo sæpiùs reflexiones, quid turbaverit animum ? & sæpè deprehendes, quòd ludicræ apprehensiones & officiorum curæ tunc perturbent animum, dum non DEUM, sed nosmetipsos in iis quærimus.

II. Querelas aliorum de te contemne : persuade tibi, quòd denique pauci agant tecum sinceriùs, quàm vulgò homines soleant.

III. Secreta, vel non accepta ùt talia, vel si acceptas, heroicô silentiô preme.

IV. Si officia tibi contra gustum imponantur, excogita tibi motiva, quibus illa tibi dulcia reddas.

V. Nulli studeas variè placere, nec timeas displicere, nec facilè in aliena dicta inquire.

VI. Fu-

VI. Futuris contingentibus te non torque, ſed ſolos ſucceſſus rerum in DEUM rejice.

VII. Perſuade tibi ſemper te accepturum locum infimum; officium viliſſimum. Si ſubinde præter expectationem majus acceperis, gaudebis, ſi minus, quietus eris. Denique ſi veram vis animi quietem obtinere, debes cum quadriga Thomæ Kempenſis pergere his quatuor rotis:

I. Alienam potiùs, quàm tuam fac voluntatem.

II. Elige potiùs minus, quàm plus habere.

III. Quære ſemper locum inferiorem.

IV. Ora ſemper, & opta, ut fiat voluntas DEI. Atque hæc quies animi erit pacatiſſima, hæcque ad terminũ manuducet ſinè termino.

COROLLARIUM.

Omnia in uno.

QUòd ſi quorundam lectionis peroſorum, aut ſciendi incuriorum, ſive diſcendi quidpiam negligentium, ſeu denique curarum mole preſſorum animus non eſſet totam hanc viam noſtram lacteam decurrendi, aut Stationes perluſtrandi; eorum tamen intentus utilitati omnia in uno fuſiùs antehac pertractata diſticho complectemur: recto tamen ſenſu ſingula ſecundùm declarationem intelligenda ſunt.

Diſſimula, ſimula, nulli crede, omnia lauda,
Diſcute quidquid ais, diſcute quidquid agis.

Diſ-

Dissimula, id est: Nemo conscius sit, quid cogites, quid intendas, quid judices, quid fugias, quid probes, aut reprobes.

Simula, id est: Omnibus etiam inimicis amicè conversare, iram exsurgentem semper preme, fiétque id; si illud aurô dignum Ethices menti insculpas apophtegma: Una offensione plùs diffamamur, quàm per centum millia virtutum probamur.

Nulli crede, id sano sensu ità accipe· Nulli facilè secretum concrede, laudibus tuis non capiare. Non procul enim utì inter leges Grammaticæ, ità inter normam vitæ Politicæ distans, *Laus & Fraus*, dum non rarò laudando illudimur.

Omnia lauda, id est: De omnibus bene senti, & optimè loquere, præsentem tamen nimiis laudibus prosequi non laudatoris Ethici, sed adulatoris dolosi est.

Dis-

Discute quidquid ais: Nimirum bis ad limam, semel ad linguam proferenda accipe. Volat enim irrevocabile verbum.

Discute quidquid agis. Nimirum: *Quidquid agis, prudenter agas, & respice finem.* Nè cogaris serò cum Phrygibus dicere: *Quod factum, factum.*

Atquè hæc sunt breviter de Ethica à me proposita: Multa hìc leges Ethicæ, quæ tibi non servient; scito: mercatores imitari volui, qui multa proponunt, sed non omnia omnibus servitura. Eme, quod servit, cætera non contemne. Illud tamen præ cæteris moneo, ut omnia eo sensu accipias, quo à me tibi proposita sunt. Ex eodem enim flore apis mel, fucus fel fugit, eun-

eundem æquè florem Ethicæ ſcientiæ, ſive fucus, ſive apis ſis, expoſitum habes; fuge, quod tibi placet; apis es, ſi mel ſuxeris, utilis omnibus; ſi fel biberis, fucus eris, nemini magis, quàm tibi ipſi nocivus. Adſcribe denique Ethice Viator ſoli DEO, quæ hìc bona ſunt, imputa ſoli mihi, quæ defectuoſa ſunt: Tu tibi, & aliis ſalutariter vive, & vale.

INDEX STATIONUM.

Statio I.

Prudens Imprudentia. fol. 10

Statio II.

Scientia sinè scientia. fol. 25

Statio III.

Fides visa. fol. 35

Statio IV.

Amicitia inimica. fol. 44

Statio V.

Regula non regulata. fol. 46

Statio VI.

Mansuetudo iracunda. fol. 55

Statio VII.

Urbanitas inurbana. fol. 66

Statio VIII.

Prospera Adversitas. fol. 70

Statio IX.

Infelix Felicitas. fol. 86

Statio X.

Par impar. fol. 96

Statio XI.

Facunda Taciturnitas. fol. 107

Statio XII.

Solitudo conversativa. fol. 118

Statio XIII.

Tarda Celeritas. fol. 127

Statio XIV.

Cæca Visio. fol. 136

Statio XV.

Quies inquies. fol. 146

D. O. M. A.

Quod Bonum, Felix, Faustum, Fortunatúmque Reipublicæ Christianæ Ecclesiæ Catholicæ, Inclyto Bohemiæ Regno, Almæ, Cæsareæ, Regiæque Universitati Carolo-Ferdinandeæ Pragensi, & Facultati Philosophicæ eveniat;

AD MAJOREM DEI GLORIAM,
DEiparæ Virginis sinè labe Conceptæ Honorem.

Annô M. DCC. XL. Mense Julio Die XII. ab hora nona matutina in Magna Aula Carolina Carolo-Ferdinandeæ Universitatis Pragensis Actus Publicus celebratus est;

IN QUO

APPROBANTE AMPLISSIMO INCLYTÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ COLLEGIO

LXXXI. Perillustres, Reverendi, Nobiles, Prænobiles, ac Doctissimi DD. AA. LL. & Philosophiæ Magistri, Ritu solemni, Institutóque Academico, Supremâ Philosophiæ Laureâ condecorati sunt.

PRO

REVERENDISSIMO

AC

CELSISSIMO

PRINCIPE

DOMINO DOMINO

JOANNE

MAURITIO

GUSTAVO

DEI Gratiâ Archi-Episcopo Pragensi, Sedis Apostolicæ Legato Nato, S. R. I. Principe, Comite de Manderscheid, Blanckenheim, & Geroldstein, Libero Barone de Junckerath, Domino in Bettingen, Daun, & Erp, &c. Sac. Cæsareæ, Regiæque Catholicæ Majestatis Consiliario, Intimo Actuali, Inclyti Bohemiæ Regni Primate, Ecclesiarum Metropolitanæ Colonienſis & Cathedralis Argentinensis respectivè Præpositо, Seniore & Thesaurario, Insignis Ecclesiæ Collegiatæ ad S. Gereonem intra Coloniam pariter Præpositо, nec non Antiquissimæ ac Celeberrimæ Carolo-Ferdinandeæ Universitatis Pragensis, ac Almæ Colonienſis Amplissimo, perpetuóque

CANCELLARIO.

LICENTIAM CONFERENTE

Prænobili, Generoſo, Clariſſimo, ac Conſultiſſimo Viro

DOMINO WENCESLAO XAVERIO NEUMANN

De Pucholtz,

Domino in Sukdol, Miskowitz, & Wiſoka, J. U. Doctore, Sacræ, Cæſareæ, Reg. Cathol. Majeſtatis, Conſiliario, in Alma, Cæſarea, Regiáque Univerſitate Carolo-Ferdinandea Pragenſi Sacrorum Canonum Profeſſore Regio, Publico, & Ordinario, &c. &c. nec non præfatæ Univerſitatis Carolo-Ferdinandeæ Pragenſis p. t.

RECTORE MAGNIFICO.

PROMOTORE

Reverendo, ac Doctissimo Patre

P. PETRO JANOWKA

è Societate JESU.

AA. LL. & Philosophiæ Doctore; in eadem Universitate Professore Regio, Publico, ac Ordinario.

Problemata à Doctissimis DD. AA. LL: & Philosophiæ Magistris resoluta.

Philosophicum: Aptiorésne ad condiscendas Scientias rerum publicarum gubernationi summè necessarias veterum Consulum grandes corpore Filii: an ætatis nostræ staturâ minores Patritii?

Ethico-Historicum: An magìs expediat Reipublicæ habere Patritios de majorum gentium Familiis cum Romulo? an verò de minorum gentium Familiis cum L. Bruto?

No-

Nomina Perillustrium, Reverendorum, Nobilium, Prænobilium, ac Doctissimorum DD. AA. LL. & Philosophiæ Magistrorum.

1. Nobilis, ac Doctissimus D. Thomas Rithi, de Lauro, Boh. Pragensis, AA. LL. & Philosoph. Magister, ex Semin. S. Wenc.
   Doctissimus D. Antonius Praxl, Bohemus Pragensis, AA. LL. & Phil. Magister.
   Doctissimus D. Franciscus Gebauer, Bohemus Trauttenavienſis, AA. LL. & Phil. Magister.
   Doctissimus D. Philippus Kulka, Bohemus Nimburgenſis, AA. LL. & Phil. Magister, ex Conv. S. Barth.

2. Prænobilis, ac Doct. D. Carolus Chaur, Bohemus Svetlenſis AA. LL. & Phil. Magister. ex Conv. S. Barthol.
   Doctissimus D. Antonius Weber, Bohemus Hoſpicenſis, AA. LL. & Phil Magister.

3. Doctissimus D. Antonius Richter, Bohemus Ober-Einſidlenſis, AA. LL. & Phil. Magister, ex Semin. S. Wencesl.
   Doct D. Wenceslaus Hay, Bohemus Budvicenſis, AA. LL. & Phil. Magister, ex Conv. S. Barthol.

4. Perillustris, ac Doct. D. Joannes Limpacher, Eques de Lippach, Bohemus Pragenſis, AA. LL. & Phil Magister.
   Doct. D. Thomas Rinecker, Franco Hammelburgenſis AA. LL. & Phil. Magister ex Conv. S. Bartholom.
   Doct. D. Franciſcus Setzer, Bohemus Dechlavienſis AA. LL. & Phil. Magister.
   Doct. D. Joſephus Nimbs, ex Comit. Glacenſi, Ober-Schwedldorffenſis, AA. LL. & Phil. Magister.

5. Nobilis, ac Doct. D. Carolus de German, Haſſus Treyſenſis AA LL & Phil. Magister.
   Doct. D Antonius Straub, Bohemus Stadlenſis, AA. LL. & Phil. Mag.
   Doct. D. Franciſcus Auerhan, Bohemus Bubnenſis, AA. LL. & Phil. Mag.
   Doct. D. Franciſcus Mentzl, Bohemus Trauttenavienſis, AA. LL & Phil. Mag.
   Doct. D. Joſephus Sigl, Bohemus Tuppavienſis, AA. LL. & Phil. Mag.

6. Do-

Doctiſſi. D. Franciſcus Kruſche, Bohemus Rumburgenſis, AA. LL. & Phil. Mag. ex Semin. S. Wenc.
Doctiſſimus D. Franciſcus Tibelli, Bohemus Novo-Domenſis AA. LL. & Phil Mag.
6. Doct. D. Joſephus Hanſch, Bohemus Pragenſis, AA. LL. & Phil. Mag.
Doct. D. Mathias Schæpl, Bohemus Klentſchenſis, AA. LL. & Phil. Mag.
Doct. D Petrus Chladek, Bohemus Glattovienſis, AA. LL. & Phil. Magiſter.

Doct. D. Adamus Baüml, Bohemus Tynenſis, AA. LL. & Phil. Magiſter, ex Convictu S. Bartholom.
Doct. D. Franciſcus Zach, Moravus Budvicenſis, AA. LL. &
7. Phil. Mag. ex Conv S. Barth.
Doct. D. Joannes Knechtl, Bohemus Zwittavienſis, AA. LL. & Phil. Mag. ex Semin. S. Wenceslai.
Doct. D. Joan. Schneider, Boh Carolo-Fontenſis, AA. LL. &c.

Nobilis, ac Doct. D. Joannes Otto, de Ottlilienfeld, Bohemus Caadanenſis, AA. LL. & Phil Magiſter.
8. Doct. D. Franciſcus Peltzer, Bohemus Duxovienſis, AA. LL. & Phil. Magiſter, ex Semin. S. Wenceslai
Doct. D. Joſephus Langhammer, Boh. Rochlicenſis, AA. LL. & Phil. Mag. ex Conv. S. Barth.

Doct. D. Joannes Fridrich, Bohemus Pragenſis, AA. LL. & Phil. Mag.
Doct. D. Joannes Ham, Bohem. Niſpurgenſis, AA. LL. &c.
9. Doct. D. Joſephus Adam, Bohemus Rumburgenſis, AA. LL. & Phil. Magiſter.

Doct. Dominus Carolus Kraus, Bohemus Przibramenſis, AA. LL. & Phil. Magiſter.
Doct. D. Joannes Wenck, Luſata Oſtrovienſis, AA. LL. &
10. Phil. Magiſter.
Doct D. Joſephus Herlth, Bohemus Zeitlerienſis, AA. LL & Phil. Mag.

Doct. D. Bartholomæus Heſſe, Bohemus Nixdorffenſis, AA. LL. & Phil. Magiſter.
Doct. D. Fabianus Marſchat, Boh. Sutticenſis. AA. LL. &
11. Phil. Magiſter.
Doct. D. Georgius Nikodim, Boh. Brzezanenſis, AA. LL. & Phil. Mag.

Doct. D. Franciſcus Borowsky, Bohemus Dobrzanenſis, AA. LL. & Phil. Mag.
Doct. D. Franciſcus Zikan, Bohemus Pragenſis, AA. LL. &
12. Phil. Mag.
Doct D. Thomas Marckl, Bohemus Königsbergenſis AA. LL. & Phil. Magiſter.

13. Nobilis, ac Doct. D. Balthasar Clanner de Engelshoffen, Boh. Horzicensis, AA. LL. & Phil. Mag. ex Conv S. Barth.
Doct. D. Dominicus Herlth, Bohemus Zeitlerienſis, AA. LL. & Phil. Mag.
Doct. D. Ernestus Schmidt, Bohemus Pragensis, AA. LL. & Phil. Mag.

14. Doct. D. Antonius Wenschuch, Bohemus Rumburgensis, AA. LL. & Phil. Magister. ex Victu S. Barth.
Doct. D. Franciscus Voita, Bohemus Pragensis AA. LL. &c.
Doct. D. Joannes Wirnitzer, Boh. Kirchenberg. AA. LL. &c.

15. Doct. D. Carolus Laa, Moravus Brunensis, AA. LL. &c.
Doct. D. Joannes Mechwaldt, Bohemus Pragensis, AA. LL. & Phil. Magister, ex Conv. S. Barth.
Doct. D. Sebastianus Lauseker, Boh Worlicensis, AA. LL. & Phil. Magist.

16. Doct. D. Franciscus Wæhner, Bohemus Nicols-dorffensis, AA. LL. & Phil. Mag.
Doct. D. Joannes Reichel, Bohemus Kotzehradensis, AA. LL. & Phil. Mag. ex Conv. S. Barthol.

17. Doct. D. Christophorus Wællsch, Boh. Pragensis, AA. LL. Phil. Magist.
Doct. D. Georgius Scholtz, Lusata Strachensis, AA. LL. &c.

18. Doct. D. Adamus Gelinek, Boh. Buttovienſis AA. LL. &c.
Doct. D. Antonius Fiſcher, Boh. Pontensis, AA. LL. & Phil. Magist. ex Semin. S. Wenceslai.

19. Doct. D. Joannes Mayer, Bohemus Pragensis, AA. LL. &c.

20. Doct. D. Joannes Strzizek, Bohemus Branensis, AA. LL. &c.
Doct. D. Josephus Laznowsky, Bohemus Kostelecensis, AA. LL. & Phil. Mag. ex Con. S. Barth.

21. Doct. D. Ignatius Blangenfeldt. Boh. Benatecensis, AA. LL. & Phil, Mag. ex Conv. S. Bartholom.

22. Doct. D. Andreas Pöch, Bohemus Daubensis, AA. LL. & Phil. Mag.

23. Doct. D. Wenceslaus Martin, Boh. Austensis. AA. LL. &c.

24. Doct. D. Joannes Schwamberg, Boh. Pragensis. AA. LL. & Phil. Mag.

Cum his extra Ordinem promoti sunt.

Reverendus, ac Doct. D. Andreas Exel, Bohemus Novo-Domensis, AA. LL. & Phil. Magister, Theologus absolutus.

Rever. ac Doct. D. Joannes Höfflinger, Bohemus Novo-Domensis, AA. LL. &c. SS. Theol. in annum 3. Auditor.

Rever

Rever. ac Doct. D. Joannes Baudiſch, Bohemus Brzezovienſis, AA LL. &c. SS. Theol. in annum 2. Auditor.

Doct. Dominus Philippus Weczereck, Sileſius Laſiſcenſis AA. LL. &c Theol. abſolutus.

Doct. D. Joannes Förſter, Bohemus Caadanenſis, AA. LL. &c. SS. Theol. in annum 2. Auditor.

Doct. D. Joſephus Gürtler, Bohemus Straſnicenſis, AA. LL. &c. SS. Theol. in annum 2. Auditor.

Doct. D. Nicolaus Gindra, Bohemus Jaromirienſis, AA. LL. &c. SS. Theol in annum 2. Auditor.

Doct. D. Adamus Senger, Bohem. Neo-Boleslavienſis, AA. LL &c. SS. Theol. Auditor.

Doct. D. Dominicus Baudiſch, Boh. Trauttenavienſis, AA. LL. &c. SS. Theol. in annum 1. Auditor.

Doct. D. Joannes Bertarini Moravus Brunenſis, AA. LL. &c. SS. Theol. in annum 1. Auditor.

Doct. D. Joſephus Stadlmajer. Boh. Glattovienſis, AA. LL. &c. SS. Theol. in annum 1. Auditor ex Cov. S. Barth.

Doct. D. Franc. Theimer, Morav. Steinberg. AA. LL. &c. Juris Aud.

Præn. ac Doct. D. Franc. Dutoi Boh Prag. AA. LL. &c Medi. Aud

Doct. D. Franc. Greſſer Helvetus Wilenſis AA. LL. &c. Med. Aud

Doct. D. Henric. ò Gormly, Hibernus, AA. LL. &c. Medi. Aud.

Doct. D. Ignat. Hartl, Morav. Iglav. AA. LL. &c. Medicinæ Aud

Nobilis, ac Doctiſſim. Dom. Joannes Wenceslaus de Petraſch Au. ſtriacus Viennenſis, AA. LL. &c Medicinæ Auditor.

Doct. D. Silveſter ò Hehir, Hibernus, AA. LL. &c. Medic. Audit.

This book is given special protection for the reason indicated below:

Autograph	Giftbook
Association	Illustration
Condition	Miniature book
Cost	Original binding or covers
Edition	Presentation
Fine binding	Scarcity
Format	Subject

L82—5M—12-57—64525